

Gottfried Wegner

**Georgi Finwetter Biblidion De Bibliothecis per Societatem augendis ac colligendis : Ad Virum ... Martinum Hankium, Professorem in Gymnasio Vratislav. Elisabetano, & Bibliothecarium meritissimum**

[S.l.], 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772802289>

Druck Freier  Zugang







7197

BoC-3114







GEORGI FINVVETTER

**BIBLIDION**  
DE  
**BIBLIOTHECIS**

*per*

**Societatem**

augendis ac colligendis,

Ad

*Virum CL. atq; Amplissimum,*

**MARTINUM HANKIUM,**

Professore in Gymnasio Vratis-

lav. Elisabetano, & Biblio-

thecarium meritis-

simum.

---

Anno 1686.



d. 10.

**M**entionem feci in literis, V. GL. jam pæterito anno ad Te datis, βιβλιόδ' de Bibliothecis, sed, veluti tunc, variis me occupationibus impeditum fuisse, scripsi, quo minus cogitationes meas, quibus ansam edita à CL. Lipenio Bibliotheca Philosophica dederat, in chartam conjicere, atq; adeo per literas, quibus per multos annos, locis alioquin dissi, sermocinati sumus, Tecum, boni publici studiosissimò, communicare potuerim: ita etiam dehinc, otium desideratum, ab ordinariis, tum studiis, tum officii laboribus, tam difficulter impetravi, ut quoque suffurari horulas quasdam, consignandis observationiunculis, quas Societati nostræ, de eodem argumentò d. 14. Febr. hujus anni proponere animus erat, coactus fuerim. Has demùm nunc, ne dives sim pollicitis, diu promissas transmitto, sed paululum auctas, ut, & morã

ali

aliquatenus compensem, & quæ interea temporis mihi inciderunt, [veluti id fieri solet, quando spatium δευτέρας Φροντίδιαι relictum est] simul exactio iudicio Tuo summitterem. Tu pro solita humanitate, promissa mea hæcenus præstolatus, dilationi non tantum condonabis, eamque in meliorem partem interpretaberis, sed etiam Tuum. quod peto officiosè, iudicium sincerum de omnibus transcribes.

2. Duo verò statim in ipso initio monebo, ne, si vel planè nova omnia, vel planè singularia hæc speres, titulus fortassis splendidus expectationem Tuam frustretur. Alterum est, me ne utiquam animum induxisse, novum aliquod Opusculum de Bibliothecis condere, nequè, si vellem, mihi id præsumerem, tum quod ad id perficiendum requiritur πολιμαΐθεια καὶ ἐμπειρία βιβλιαυή, eaque non exigua, sed eximia, quam nullo modo mihi tribuere possum, tum quod ab aliis, quos i-



psi eruditi ob ἀκριβείαν admirātur, abundè præstitum est. ◊ Animadversiones duntaxat aliquas exhibeo, profuturas, meo quidem iudicio, Reipublicæ literariæ; quæ, si apud alios quoq; observatæ fuerint, mirum haud videbitur, cum nihil quicquam hodiè scribatur aut dicatur ferè, quod non olim dictum, vel scriptum sit. Mihi tamè paucissimos, qui de Bibliothecis scripserunt, remque librariam pro virili adjuvare studuerunt, vix consulere, nedum evolvere ac pellegere licuit. Alterum, quod præmonendum duxi, hoc est: me non de uno Bibliothecarum genere tractationem suscepisse, sed varia, prouti vox ipsa variæ obnoxia acceptioni, attingere, animo proposuisse. Unde necessum videtur, ut de variis ac diversis vocis hujus πολυσήμια acceptionibus, nonnihil præmittam.

3. Notum est, etiam illis qui primis labris degustarunt literas, Bibliotheca vocem ex βιβλία & θήκη componi,

poni, unde *proprie* & quidem *πρώτως*  
 notat: (α) *τὸν Forulos* siue *armaria*, in  
 quibus libri collocantur, quemadmo-  
 dum *χειρὸς δέξιν* dicitur quasi *χειρῶν*  
*δέξιν*, ubi manus recondimus; &  
*πινάκῳ δέξιν* ubi tabulæ reponuntur.  
 Hinc nonnulli reddunt *Repositorium*  
 librorum. *Isidorus* vertit l. 15. c. 5. li-  
 brorum repositionem; scribitq; l. 6.  
 c. 3. *Bibliotheca à Græco nomen accepit,*  
*eo quod ibi recondantur libri.* β. *Tum*  
*Locum & Conclave* α ipsam libris instru-  
 ctū ad studium, *Hebræis* בִּיבְלִיּוֹתָא  
 dictum. Quò sensu utitur *Cicero:*  
*Abdo me in Bibliothecam.* Latine juxta  
 nonnullos *Libraria*, *Gellii* verbis id  
 afferentes: *In libraria* ego & *L. Paulus*  
*confederamus.* Sed vox hæc *Libraria*,  
 censente *P. Claud. Clemente* in *Præfat.*  
*Musæi*, potius significat tabernam, in  
 quâ prostant libri venales quæstus  
 gratia, quam librorum certo in loco  
 liberalis studii causa dispositorum  
 multitudinem. Vocant itidem *Muse-*  
*um*, sed *proprie* locus erat, ubi *Muse*



colebantur, & responsa reddebant, vel  
 aedes, seu collegium literas simul di-  
 scientium, licet jam passim sumatur  
 pro conclavi, in quò solemus Musis  
 operari, i. e. in librorum lectionem  
 vel scriptionem, vel in alias hujus-  
 modi commentationes literarias in-  
 eumbere. Hoc tamen interesse, vi-  
 detur memorato *P. Clem. Ornacensi,*  
*Reg. Prof. Madritensi,* inter notionem  
 Musei & Bibliothecæ, quod Museum  
 primò literarium studium innuat, tum  
 deinde necessarios ad id libros: è con-  
 trario, primaria significatio Biblio-  
 thecæ sit ordinata librorum conge-  
 ries, secundaria verò studium. *Δευτέ-  
 ρως* autem, ipsam librorum ordina-  
 tam congeriem, sive apparatus & nu-  
 merum, notat, Hebræis *ספרינון*  
*ספרינון* Collectio librorum, dictum,  
 qualis in celebrioribus præsertim civi-  
 tatibus, aulis, academiis, ad usum pu-  
 blicum communiter prostat. *Pompejus*  
*Festus* conjungit hos significatus: *Bi-*  
*bliothecæ, inquit, & apud Grecos, &*  
*apud*

apud Latinos, tam librorum magnus per se numerus, quam locus ipse, in quibus libri collocati sunt, appellantur. Sed in jure Civili differunt Bibliotheca & librorum apotheca l. 33. ff. tit. 7. l. 12. §. 34. Instructo a. fundo, & Bibliothecam, & libros, qui illic erant, ut, quatenus venissent, uteretur, contineri constat. Sed si quasi apotheca librorum utebatur, contra erit dicendum. Ubi Dion. Gothofredus annotat, Veteres etiam Bibliothecas in prædiis & fundis habuisse.

4. Improperie & κατάχρηστικῶς, nomine Bibliothecæ, unus sæpè liber exprimitur ac indigitatur. Et quidem primò Catalogus Librorum sive index, non tamen confusus, sed benè distinctus, ordine scil. multorum librorum titulos recensens, qualis est index: Tum (α) Autorum & Scriptorum, qui libros scripserunt ac ediderunt, collectus ac dispositus, vel secundum ordinem alphabeticum; uti se habent ut plurimum Bibliothecarum Catalogi, Oxoniensis Jamesii, Francofurtensium

sis Beckmanni, & aliorum. Item  
 Gesneri Bibliotheca, ordine alphabe-  
 tico omnes exhibens autores, qui qua-  
 cunqve lingvâ, ad sua usque tempora,  
 scriptis prodesse voluerunt, Buxtorffii  
 itidem Bibliotheca Rabbinica, Posse-  
 vini Catalogus MSS, Græcorum, O-  
 learii Abacus Patrologicus &c. *vel se-*  
*cundum ætatem, quô modô Gerhar-*  
*duſ p. m. in suâ Patrologiâ Doctores*  
*& Scriptores Ecclesiasticos collegit,*  
*Tum (B) Materialiû & rerum, isque*  
*vel secundum Facultates & LL. CC.*  
*dispositus, uti est Bibliotheca Sancta*  
*Sixti Senensis, Pandectæ Gesneri, Ap-*  
*paratus Sacer Anton. Possevini, Bi-*  
*bliotheca Classica Draudii. Bibliotheca*  
*Theol. Vœtii & Gerh. Meieri. &c.*  
*Vel Secundum alphabetum, uti Bibli-*  
*otheca Juridica, Medica, & Philoso-*  
*phica Lipenii, Artifodina Joh. Georg.*  
*Schielen, Repertorium Homiletic-*  
*um Henningi Witten. Deinde quo-*  
*que Libri illi Bibliothecæ vocantur,*  
*qui (α) Variorum Autorum ipsa ope-*  
 ra



9.  
 ra complectuntur, veluti Bibliotheca  
 Patrum &c. (β) Unius Autoris scri-  
 pta numerò multa exhibent, e. g Ori-  
 genis, quòde Hieronymus scribit:  
*Auxerunt aliorum studia Bibliothecas, ac  
 per partes compleverunt; Unus Origenes  
 ingenii facilitate Bibliothecam unam,  
 quamvis ingentem, implere potuit, cui ob  
 incredibilem librorum numerum, qves con-  
 scripsit, Adamantius cognomen inditum est.*  
 Ita Didymus Alexandrinus, qui 3500.  
 volumina scripsit, χαλκέντεσ voca-  
 rusest. Conf. Laërtius de Vitis Phi-  
 losophorum. (γ) Autorum Excerpta  
 continent, uti Bibliotheca Photii.  
 (δ) sunt πολλῶν ἀνταξιοι ἄλλων,  
 veluti sunt Bibliotheca Apollo dori  
 Diodorus Siculus &c. De quibus Rei-  
 nsius epist, 85. Huc pertinet Biblio-  
 theca portatilis Raupii, & similes.  
 Rideri autem Lexicon Anglicum,  
 quod Bibliothecam inscripserat, falsè  
 ridet Ovenus:

*Quid sibi ridenti vult Bibliotheca Rideri?*

A 4

Unus

*Unus enim non est Bibliotheca liber.  
Verborum cum theca s̄ hac, non theca li-  
brorum,*

*Lexicon hoc dici Dictiontheca potest.*

5. Nolo de Onomatthesiâ operosè disquirere, & rationes, ob quas Vox hæc composita, imposita sit rebus indigitatis, rectène congrueque, an secus, ponderare, vel etiam examinare, in verbis enim faciles esse nos decet. Res ipsas, quas docti Viri hoc nomine voluerunt indigitare, tangam, nec tamen omnes, sed de præcipuo Bibliothecarum genere nonnihil monebo, partim defectus, partim consilia indicarurus, hoc sine scilicet, ac scopo, ut quodammodo appareat, non esse unius hominis infinitæ rei materiem congerere, sed requiri Societatem Literariam, cui curæ cordique sit Bibliothecarum auctio atque collectio.

6. Ut itaque initium ab ipsò apparatu librario faciam, cujus quisque comparandi tantò solet esse studiosior, quantò acquirendæ sapientiæ est cupid-

pidior, cum relictos sciat à Scriptoribus artium ac disciplinarum, ingentes nobis thesauros in librorum apothecis, quos cuique fas sit in suos usus cōvertere. Certè (B) libri sunt instrumēta proxima & divinitus data, ad sapientiam prudentiamq; in genere humano, propagandam & conservandam. Ecclesias & Scholas propagare, conservare & ornare, sine Bibliothecarum institutione, Magistratus commodè non potest. Hinc sanctæ sunt Bibliothecarum curæ, DEO gratæ, Reipublicæ verò salutare, quia ad rem literariam provehendam multum conferunt. Unde quoq; princeps erigendarum Bibliothecarum finis esse debet, Eruditio quasi per manus tradenda posteris, solo publicæ utilitatis, & divinæ gloriæ respectu. Hic finis fuit illorum, quicumque ante nos fuerunt, nobis vigilias suas in multam noctem, nobis antelucanas suas lucubrationes in multam diem produxerunt, nobis severunt, nobis vixerunt. Et idē quidem severunt ingenuarum discipli-



narum cultores, ut suppeditarent posteris, quod in horreum memoriae conderent, & unde pascere mentes suas. Hic scopus etiam atq; finis eorum, quicumque relictos sapientum thesauros collegerunt, & bibliothecas extruxerunt, atque, ut ad publicum literatorum usum prostant, magnis sumptibus, curarunt. Scilicet, ut tum ipsi, tum alii solum animi, multiplici lectione fecundent, ut nunquam sine faenore reddant, quod à prioribus acceperunt.

7. Hinc tot passim extant, imprimis per Europam, egregiae Bibliothecae, ita ut vix Ecclesia sit, Academia, Gymnasium, Monasterium, aut Collegium, quod his mercibus non abundet, Nil dicam de privatis Bibliothecis, quae itidem ubivis inveniuntur, publicis saepe nec loci splendore, nec librorum selectu, nec sumptuum magnificentia, cedentes. Celebriores, tam veteres, quam recentiores, Orientales & occidentales notavit ac numeravit,  
cum

cum suis encomiis & doctis annotationibus, D. Höttingerus, in *Bibliothecar. Quadripartito* part. 1 c. 2. Collegerunt itidem variarum gentium Bibliothecas Angelus Rocha in *Append. Bibliothecæ Vaticanæ* p. 385. sq. atque Ludovicus Jacobus Carmelita in *Histor. Bibliothec. hujus seculi*. ac post hos Lomeier in *de Bibliothecis* lib. cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10 & 11. Quibus abs his memoratis, aliæ quoque tam publicæ quàm privatæ, addi possunt, in quarum numero, vestræ Wratissavienses, Lipsiensis, Jenensis, Berolinensis, Regiomontana, & nonnullæ privatorum, hodiernum percelebres sunt.

8. Hoc tamen non obstante, dico ac scribo, publicas Bibliothecas paucis esse curæ ac cordi. Quod enim in communi vitâ contingere videmus, ut à singulis plerumque negligatur, quod omnium interest, vel ad plerosque pertinet, id quoque in publicis Bibliothecis verum esse deprehenditur.

Nec



Nec mirum, cum & privatorum aedificiorum curam publico Israelitæ anteposuerint, propheta teste, idque reprehendente. Quilibet in re librariâ, pro viribus ac facultatibus sibi prospicit, neglectâ ferè publicâ, cum tamen parum, respectu rei tam innumeræ ac infinitæ, sibi procuret, multum verò familiæ oblit, certum sed clancularium furem, rem librariam strenuè curando & augendo, in re familiari inscius aut conscius fovens. Non paucicum damno id experti quando vel vendere emtos, vel saltem aliis pignorū loco tradere, coacti sunt, quamvis Laurentius Medices tanta sibi ab Angelo Politiano, & Pico Mirandula, ad libros emendos præstari incitamenta optabat, ut tandem deficientibus sumptibus, totam supellectilem, oppignorare cogeretur, teste Leonicensio, apud Politian. l. 2. ep. 6. sed hoc γ nō est neque debet esse privatorum hominū negotium, adornare bibliothecas omninū numero perfectas, ac, licet sumtus  
tot

tot ac tanti suppeterent, vix usui forent. Etenim, cujus unius laborum patientia, imo vita tota sufficiat, ad tantarum facultatum & disciplinarum auctores, deque singulis, tot auctorum tractatus, non dico perlegendos, sed vel ad evolvendos? Non librorum multitudo, sed eorum multa lectio eruditum facit. Hinc suo jam ævo [d] *Seneca* immensam omnem librorum multitudinem, ceu vitio laborantem traduxit, quando scripsit: *Distrahit animum librorum multitudo: itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat est habere, quantum legas. Satius est, paucis se tradere auctoribus, quam per multos errare.* Cum itaque privatis hominibus, ingens librorum multitudo magnum onus sit, quod san magis profit quam obsit, inquirere non est animus: quilibet pro sua auctoritate, consilio, & facultate, commune & publicum bonum curare debebat, atque in id incumbere, ut bibliothecæ publicæ, sumptibus Principum

pum

pum ac magistratum, quorum & hæc  
(r) quoque cura est, instituerentur, in-  
stituta augerentur & ornarentur, ut  
ex iis & ad Ecclesiam, & ad republicam,  
ac denique privatos quosvis uti-  
litas redeat.

9 Experientia quoque testatur,  
Bibliothecas publicè dicatas, & in-  
choatas, vel ex instituto Principum, vel  
ex liberalitate & legatis Mæcenatū,  
publicæ rei literariæ benè cupientium,  
passim destitutus annuis redditibus, vel  
planè omnibus, vel certè talibus, qui-  
bus pro dignitate, & utilitate publicâ,  
ægrè nobile augmentum illis com-  
parari possit. Liberalitas verò &  
munificentia, quam primi fundatores  
in posteris respexerunt ac sperarunt,  
rara hodiè est admodum, imprimis  
calâitosis ac bellicosus his temporibus,  
ubi plurimos non levis tangit cura, uti  
suos liberaliter sustentent, suaq; in pri-  
stino vigore ac flore conservent. At-  
tamen, cum maximè interfit biblio-  
thecarum publicarum augmenta mu-  
neri-



neribus beneficiisq; promovere, ne scil. privati tot sumtus in libros impendant, cum rei familiaris jacturâ aliquando vendendos ideò (1) Legata (2) procuranda sunt, & annui proventus constituendi, ut apparatus librorum augeatur, & ornatur insigniter. (2) Docti quoq; homines, qui eo utuntur ac fruuntur, quotannis libellum, vel munusculum, pro facultate quisque, donare possent. (3) Authores, bibliopola, typographi, qui suis sumtibus libros excudi curant, exemplar unum bibliothecæ, saltem suæ regionis aut Urbis, insinuare debebant. (4) Cives alibi degentes, Tractatus & Libros, quos edunt scriptos, tum patriæ mittendos, tum regionis bibliothecæ inserendos, curent, utrobiq; beneficiis devincti: (5) Præterea Bibliothecarii, sibi invicem auxiliatrices ferrent manus, quando, quæ superflua ex suo loco habent, permutant, atq; communicant. (6) Respublica literaria quoq; juvabitur, si in unâ civitate,

te,

te, vel una tantum erigatur bibliotheca, vel, si earum duæ aut plures sunt, alii aliis authores & libri acquirantur, & docti itidem habitatores parvæ molis tractatus sibi coëmant, magna autem volumina bibliothecis publicis destinant, unanimi studio & auxilio, ne, si omnes vel plures idem appetant, vel pluribus bibliothecis procurent, pluribus hinc destituantur emendis & comparandis.

10. Fieri etiam videmus, ut homines plerumque extera & peregrina admirentur appetantque, quæ verò domi sunt, negligant ac postponant, cum tamen virtute ac præstantia illis æquiparari queant, sæpè anteponi debeant. Idem in re literariâ ac libraria obtingit. Nam imprimis exteri inquiruntur & acquiruntur authores, domestici verò, & qui regionis vel civitatis nostræ proprii sunt, susque deque habentur, quo fit, ut egregia, tam authorum exterorum, tum actorum eruditorum habeatur notitia, parva  
con-

contra aut nulla sit eorum, qui domi  
 excelluerunt, authorum, eorumque  
 scriptorum, ac rerum gestarum inde  
 petendarum. Quæ res movit excel-  
 lentiss. Dn. Beckmann, ut non tan-  
 tum curiosè inquirat, quæ in Marchia,  
 ac Francofurti olim scripta ac edita  
 sunt, sed & summâ industria eadem  
 colligat, quæcunq; tandem illa sint,  
 etiam quæ hodiè à quolibet eduntur.  
 Quomodo aliquot volumina conges-  
 sit, quæ Francofurtana inscribuntur.

II. Constat insuper, in compa-  
 randis libris, magis auctoritatem ac  
 famam scribentium, quam ipsa  
 scripta, plerumq; attendi, quò fit,  
 ut libri Virorum nondum clarorū  
 negligantur, & à bibliopolis dun-  
 taxat famâ clientium scripta ex-  
 petantur, inque lucem protrahan-  
 tur, cum tamē experientiâ pateat,  
 quod celebres Viri, qui famam ha-  
 bent, nimis occupati ac districti,  
 per



per alios nonnunquam conquire-  
 re ac conscribere cogantur, suo  
 tamen nomine patiantur edi: Illi  
 autem, qui nondum famam ha-  
 bent, summa saepe diligentia &  
 iudicii acrimoniâ scripta sua in u-  
 sum publicû componant, hincq;  
 famam & lectionem mereantur,  
 attamē diu neglecti, demum tunc,  
 cum res eorum egregiæ innotē-  
 scunt, inquirantur, qui, si initio  
 statim commendati ac recepti fu-  
 issent, ut meriti erant, ad plura,  
 majora & meliora incitari potuis-  
 sent. Exempla passim sunt obvia.  
 Sic latuit Gisebertus aliquamdiu,  
 quem nunc coli & commendari  
 Juris studio, deditis, audio ac com-  
 perio. Quæ Dn. Becherus ipse, de  
 studio, iuventutis bono, suscepto  
 testatur, quæle præmium habuerit,  
 & quomodo ab instituto retractus  
 fuerit,

fuerit, in præfatione novi organi Philologicæ, & part. I Method. Didact. legi potest.

12. In acqvirendis deniq; libris, comperimus, novorum, qui recens lucem aspexerunt, maximè rationem haberi, obsoletos squaloreqve obfitos temni. Quis litteratorum bibliopolas ex mercatu adventantes non sciscitatur, quid novi attulerint? At veteres quoq; curâdi & attendēdi sunt, imprimis veteres & primæ editiones, eæqve separatæ, comparandæ, si haberi possunt, Virorum præclarorum, quorū scripta magni æstimantur, accum tempore in uno vel pluribus voluminibus collecta sunt. Quâ in re auctiones publicæ, ubi vigent, admodum sunt proficuæ, ut meritò passim introduci debeant, abrogatis clanculariis venditioni-



eionibus, quibus boni sæpè authores ac libri, Bibliothecariorum oculis & usui subtrahuntur. Coëmmendi etiam sunt præsertim libri, qui rarò eduntur, ac continuari magis, quàm renovari debebant, in quibus numerandæ sunt Bibliothecæ, & authorum, & materiarum, quibus nullæ Bibliothecæ carere possunt.

13. Pergo ad Bibliothecas propriè & πρώτως sic dictas, Conclavia scilicet, apparatu librorum ordine dispositorum instructa. Animadverti autem, Bibliothecas publicas omnes non omnibus, id tamen desiderantibus, apertas esse, contra requisitum bonæ publicæq; Bibliothecæ propriū. Observavit id etiã Naudæus, scribens, ad omnes ferè bibliothecas ( præter Bodlejanā Oxoniensē, cujus tamē postea

postea libertas itidem restricta; Ambrosianā Mediolanensem; Augustinianorum Romæ; ) Vaticanam, Medicæam, Florentinam, Besarionis Venetam, S. Antonii Patavinam, Beloniensem, Cremonensem, Neapolitanam, Urbinesem, Complutensem, Ranzovianam, Fuggerorum Augustanam, Regiam Parisiensem &c. non ita facilè patere accessum. Sed Musarum januæ apertæ sunt; certè debent (1) esse. Hic semper porta patens esto, nulli claudatur honesto. Certè, qui librorum usum, iis etiam, qui publico bono prodesse possunt, invident, animam Bibliothecis & vitam adimūt, planeque Cani Æsopico similes, fœnum qui nec ipse comedit, nec aliis concedit. Rectè adeò pronuntiavit Ramus: ita habendas esse Bibli-

Bibli-

Bibliothecas, ne sepulchrorum ritu perpetuò claudantur. Non enim tātus eruditionis & sapiētiæ thesaurus, in tenebris atq; hominum ignoratione latere debet, sed proferendus est in lucem, atq; in conspectum omnium, ad laudem Divini Numinis & Christiani Nominis, Patriæ commodum, salutemqve & utilitatem publicam. Utile ergo est quam maximè, ut vel semper, vel certis constitutis & ordinariis horis Bibliothecæ sint apertæ, quibus à quolibet visitari possunt, quemadmodū Hamburgi Bibliotheca quotidiè, Oxonii verò 6. horas singulis diebus patet, ubi etiam rei bibliothecariæ tres Viri docti præfecti sunt, qui illam pro viribus curant, & exornant laudatissimè.

14. E contrario nec erit dubitabile  
verum



verum, multos quibus apertæ sunt  
 Musarum januæ, vix ac ne vix illas  
 salutare, ac bono publico literario,  
 cum tamen maximè possent, studere.  
 Ars longa, vita brevis est; hinc, quod  
 unius vel alterius non est, à pluribus  
 unitâ ac socia industria tractari, artes-  
 que ac scientiæ, cum Linguis, ampli-  
 us provehi, consiliis item communi-  
 catis, suppeditatisq; mediis, quæ quis-  
 que habet, omnis res literaria augeri  
 & ornari debebat. Quò sine ac sco-  
 pò, cum Bibliothecæ erectæ sint, indi-  
 gna sanè res est literatis hominibus,  
 nolle uti frui  $\Psiυχῆς \iotaαρπειῶ$ , cum  
 libri sint proxima instrumenta ad sa-  
 pientiam & prudentiam inter homi-  
 nes conservandam & propagandam.  
 Non dicam, quod diligenti Bibliothecæ  
 carum visitatione, quilibet sibi majore-  
 rem eruditionem, & famam nominis,  
 si illius fructum ad rep. literariam  
 redundare sinat, acquirere possit, id  
 quod egregio exemplò Salmasius o-  
 stendit, quod de Prosopographia ejus  
 B epist.

epist. præfixâ ita fatur p. 23. *Salmasius* dam *Heidelbergæ* versatur, statuit nihil prorsus eorum negligere, quæ sibi in posterum ad rem, quam inceperat, aut utilia aut necessaria fore, existimaret. Admissus igitur in interiorem *Jani Gruteri* amicitiam, simul & liberrimus ei ad locupletissimam Bibliothecam patuit aditus. In eam itaq; se condit, & evolvendos partim, partim conferendos cum editis, aut, si editi non essent, & majoris momenti viderentur, transcribendos *Græcos Latinosq;* Codices *MSS.* sese accinxit. Atque ea quidem pertinacia, ut non diem tantum, sed & noctem huic curæ impenderet, & ex tribus unam semper insomnem duceret. Toto manè ferè una semper cum *Grutero* hanc operam navabat: à meridie, per aliquot horas ambulationibus se invicem atq; eruditis sermonibus recreabant, ne quod otium etiam sine negotio abire sibi *Claudius* noster permitteret. Tum iterum *Salmasius* ad pensum suum, *Gruterus* domum reverti solitus. Quin etiam id juris in Bibliothecam jam acquisiverat *Heros* noster.

ut

ut in Museum quoq<sup>ue</sup>, quos vellet, secum Co-  
dices perlegendos aut describendos addu-  
ceret. Ita factum paucis mensibus, ut  
eruditionem acquireret planè incredibilem,  
& fama nominis ejus, non Germaniam  
tantùm universam, sed & Belgium no-  
stram, & Gallias pervagaretur, & pro  
Grutero jam Salmasius undiq<sup>ue</sup> de dubiis  
ac conclamatis apud omnis generis Au-  
thores loci consuleretur. Ille verò jam  
tum eruditionis varia admodum & diffu-  
se copiam instructus, nunquam non plenis-  
simè us satis fecit, & supra expectationem  
quoq<sup>ue</sup> lautissimè doctrinæ & polymathie  
suae copiam satiavit. Superfunt tum in ipsi-  
us museo, tum apud amicos maximorum  
Virorum literæ, quibus super variis admo-  
dum & difficillimis locis, in Stephani Di-  
ctionario, Floro, Callimacho, Theocrito,  
Atheneo, Hesychio, aliisque gravissimis au-  
thoribus sententiam rogatur.

15. Insuper compertum est, [x]  
tum libros raros, tum ἀξιωματικώτεραι  
bibliothecarum, sigillatim thecis in-  
cludi & in arcis recondi, quemadmo-  
dum



dum olim certioris custodiae causa libros & pretiosa cistis reposita, inq̄ terrâ recondita fuisse legimus: qui verò privati habent singulares & raros, sibi seruant, plerique (λ) βιβλιοτάφοι: quò fit, ut ad paucorum notitiam perveniât, cum nonnisi amicis reclusa ferè ostendantur, & ingenia curiosa destituantur, sive mediis, sive exemplis, quibus potuissent vel demonstrare, vel illustrare materias, quas orbi erudito scripserunt. Similiter libri ipsi non cuivis, sed duntaxat notissimis amicis, quibus non semper vacat bibliothecas ingredi, commodatò traduntur, ut adeò multis occasio desit, Auctores varios consulendi, & evolvendi, tum majore copia, tum solidiore fundamento scripturis libros. Equidem mala nonnunquam bibliothecis pro beneficiis relata est gratia, dum promiscuè intromissi non eadem semper fide egressi, & libri quoque, præsentibus commo-  
dati, ad Dominum suum non reversi  
sunt,

sunt. Id quod inter alios, Inspector olim noster, Vir pius & sanctus. D. M. M. H. gratificari & benefacere. Studiosis, quibus res angusta domi erat, studens, damnus expertus, publico ( $\mu$ ) programme conquiritur, quod Catalogo Librorum suorum præfixit. Atque hæc causa est, ut passim Bibliothecarum Præsides, quorum officium est, non minuire, sed augere apparatus, rigidius, quam voluissent aliis, vel planè arceant, vel cum restrictione admittant illos, quibus Bibliothecæ usus denegari nequit. Habent hinc Bibliothecæ suas tum leges, tum inscriptiones ( $\nu$ ) prophylacticas, quibus manus sacrilegas abesse volût, modumque usus ponunt. Potest enim, quod commodationem librorum concernit, occurrere incommoditatibus, si petentibus, non nisi pignore dato, extraderentur; aut, si ex commodatione diuturniore, aliis usus librorum subduceretur, admittendi sunt in Bibliothecam, & vel in peculiare illis



conclave, vel destinatas eam in rem  
sedes, ducēdi, ubi se contineant, &  
commodatos egressuri Bibliothecario  
iterum insinuent.

16. Sed videas passim, ædificia &  
conclavia, quibus Bibliothecæ asser-  
vantur, non esse ita accommodata atq̃  
extructa, ut quilibet, qui copiam li-  
brorum non habet, commodè illis li-  
bris uti, accommodari queat, hinc bi-  
bliophili, commoditate in bibliote-  
cis studendi destituti, non parvos sæ-  
pè emendis libris sumtus impendunt,  
quos aliquando heredes post mortem  
possessoris vili coguntur vendere.  
Nullam mentionem faciam situs, qui  
orientem spectare debet ex præcepto  
Vitruvii, non conclavium structura,  
in iisque loculamentorum & spatio-  
rum, an satis capacia, obscura, humi-  
da, obnoxia periculis incendii, pul-  
veri, vicina vociferantium congrega-  
tioni &c. qualia in Augustâ Vin-  
dobonensi Lambecius offendit, non (Æ)  
dispositionis, quæ cum jucunditate &  
utili-

utilitate conjuncta esse debet, non ornamentorum picturarum & similium. Hoc necessarium est, ut, si libri communicari commodè non possunt extra bibliothecam, ædificium ita extructum sit, ut etiam plures separatim thesauro librario uti, commodè studere, & commorari queant, sintque Bibliothecarii certo salario constituti, qui desiderantibus officia præstarent, librosque traderent. Quà si commoditate Pastores & Ecclesiastæ ubiq; locorum frui possent, næ plus pecuniolæ, non liberos & libros solummodò, juxta vulgi veriverbium, post se relinquerent morru. Olim profectò Bibliothecæ in tali loco extructæ fuerunt, ubi convenire, commorari, & conferri literati potuerunt. Unde Gellius scribit: Confederamus in librariâ &c. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 4. in villam cum sociis se profectum esse, atque in literis tempus transegisse testatur, Olim n. in villis & fundis rusticis bibliothecæ extru-

ebantur, ut nullum à studiis tempus vacaret, & ruris amœritas studiorū labores tanto jucundiores faceret, uti colligitur ex l. qvæsitū 12. § Instructo ff de instructo & Martial. l. 7. epigr. 16. Peculiaris fuit gloria Bibliothecæ Alexandrinæ, quòd musæū in illâ à regibus extractum fuit, quò eruditi à vitæ victusque curis vacui [alimenta n. è publico dabantur,] & ab omnibus rebus feriati, Musis tantum operati sunt scribendo, differendo, recitando, teste Lipsio in de Biblioth. Syntagmate. Tale quoq; fuit Romæ Collegium Poëtarum, quode Ovidius passim canit l. 5. Trist. eleg. 3, & l. 4. Trist. eleg. 10, ubi sui temporis Poëtas, tanquam sodalitii sui membra, enumerat. Meminit ejus Collegii quoque Valer. Max. l. 3. c. 7. & Papin. Stadius Sylv. lib. 1. in Epithal. Stellæ & Violantillæ, Horatius item lib. 1. Sat. 10. l. 2 ep. 2. Conf. Er. Puteanum Svad. Att. orat. 3. Voss. de imit. Poët. c. 7. Lipsium epist. 48. Cent. 2. ad Belgas

gas



gas. Simili exemplo nostra Societas, occasione Desiderii hic loci, ante annum inita literatos doctosque inter Viros, hâc & præteritâ ætate amœnissimos suos congressus, in ipsâ Bibliothecâ horto amœnissimo felice, celebravit ac habuit.

17. Devenio ad Bibliothecas improprie sic dictas, sed quarum Usus neutiquam contemnendus, quia insignis est. Nimirum Catalogi Bibliothecarum, & indices Authorum, librorum, & Materialium, itidem nomine Bibliothecarum sæpè veniunt, de quibus etiam habeo, quod moneam. Et quidem primò de Catalogis Bibliothecarum: Deinceps de Indicibus Authorum, & librorum variis: Tandem quoq; de indicibus Materialium & Locorum Communium.

19. Quod Catalogos attinet Bibliothecarum, testantur imprimis editi, quàm egregio thesauro præ aliis excellent Civitates, quæ benè instructis Bibliothecis sunt ornata, sed dolens

dum sanè, non omnes omnium Bibliothecarum extare. Catalogos, quod (o) tamen vel maximè necessarium ac utile esset, quia compluribus, non tantùm in illa ipsa Civitate ac regione degentibus, sed etiam exteris, per hunc demùm innotescit, quos auctores & libros liceat ex thesauro illo expectare, & promere in commodum eruditionis. Qvi literariæ rei usus, est reapse unicus, saltem potissimus, inter prudentes, tantæ librorum Collectionis scopus atqve finis. Sanè Matthias Flacius, cum vidisset Catalogum Authorum, quem Johannes Trithemius contexuerat, temperare sibi non potuit, quin dissimulata persona & habitu, in Germania Monasteriorũ Bibliothecas perlustraret, atq; hoc adminiculo librum istum egregiũ, qui Catalogus Testium Veritatis inscribitur, confecit teste in ejus vitâ Melch. Adami, Latent utiq; passim Libri, etiã olim editi, sed disparuerunt rarefacti, quasi nunquam fuissent typis antea excusi,

eusi, qui, si publicis Catalogis indicarentur, profuturi essent magno comodo, consulentibus, tam coram presentibus, quā per Bibliothecariū absentibus, historias & antiquitates eruturis.

19. Suo & aliorum id exemplō confirmat CL. Daumius, quā sēpiusculē id contigerit, ut rara librorum excursorū exemplaria descripta, Mss̄ta verō typis commissa. fuerint, tanquam primō prima. *Quam rarefiant hodie, scribit p̄s̄fat. ad Lect. p̄m. Dialogo Hieronymi Theol. Græci de Trinitate, semel tantum olim excusi libelli, & quasi nunquam typis fuissent excusi, dispareāt, non fugit eos, quibus Bibliothecas, sive, si id non datur, earum saltem Catalogos & quidē locupletes, non obiter exscrutari atq; excutere cura est. Ut uno & altero exemplo primū obvio, id testaturum faciam: Edidi ante septendecim hos annos, suppeditante ex Bibliotheca Collegii Ampeloni-ani sive portæ Cæli Erfordia Apographum Polyhistore summo Thoma Reinesio, Bernhardi Geystensis, sive Gestensis, Canonici*  
*Ecclē-*



*Ecclesie S. Mauritii extra muros civitatis  
 Monasteriensis, Palponistam, sive Dialo-  
 gum Metricum de variis Mundi statibus.  
 Uterq; tum nostrum auctorem esse per-  
 suasus erat, meq; primum non uni lauda-  
 tum Auctorem, sed nondum publicè visum,  
 è tenebris eruisse gaudebam; quamquam  
 vitiatò admodùm textu ac lacunoso, nec  
 à nobis satù è conjectura ob frequentes  
 Membrantarum mendas expurgato. Idem  
 credidit Auctor Appendicis Catalogi Testi-  
 um Veritatis novitius, Clariss. J. C. Die-  
 tericus putò pag. 44. Verùm nuperrimè de-  
 mùm docuit me Vir Ampliss. Joh. Christoph.  
 Betmannus in Bibliotheca Francofurt.  
 Marchie Catalogo à se edito, jam olim  
 Colonia Ubiorum, nimirum anno 1501, ab  
 Henr. Qvenselio typis descriptum exiisse.  
 Qui humanissimus Vir etiam satù liberali-  
 ter ejus Editionis exemplum ad me procu-  
 ravit. Nathan Chytraeus Bernardum  
 Morlanensem Anno 1597. se primum edere  
 falsò opinatus fuit, & crediderunt id multi,  
 in quibus & Josephus Scaliger: cum tamen  
 à Flacio Illirico inter poëmata de corrupto  
 Eccle-*

Ecclesie statu a. 1557. luci jam datus fuisset, & quidem cum prefatione, quæ à sequentibus editionibus exulare prorsus non debebat. Dacet enim ea aliunde non cognoscenda. Sic Joh Heringius Tobiam Matthæi Vindocinensis MSS tu se proferre primum arbitratus est, quæ & Barthius Advers. Tom. I. & II. inseruerat velut ἀνέκδοτον, & Boëtius Epo prefatione in Fragmenta Isidori Juliani Toletani prognostica Duaci 1564. editæ, evulgandum suo tempore promiserat: Quorum singuli, Lugdunenses jam anno 1505. Argentoratenses 1510. Joh. Heroldum Basileæ apud Oporinū 1563. publici eum juris fecisse, ignorarunt. Id raritas facit exemplarium, Quod n. lacerantur conscindunturq̄, quot incendiis absumuntur, quot inundationibus pereunt, aliisq̄ modis strangulantur: quorum exempla insuper non magno numero fuerant impressa? Infinitos alios possem producere, si id hic ageretur. Adeo Typographia celeriter potius diffundit libros, quàm diu conservat.

20, Quàm ergò utile esset, Catalogos

Bi-

Bibliothecarum publicarum edere, eosq; cum privatis conferre & invicem communicare, ut nota fierent palam, tam nunquam edita, quàm edita, sed rara, & quæ Manuscripta ab aliis possidentur, atque pro ineditis putantur. Equidem desperatum penè esse, vastarum Bibliothecarum absolutos habere Catalogos, omnium ferè eruditorum suffragiis est conclamatum. Nihil certius [inquit Conringius] quàm vastarum Bibliothecarum indices integros, ut confectu perquam difficiles, ita rarissimos esse repertu. Neque v. mirum! Sive enim librorum spectetur numerus, sive argumentum, singula eas habent difficultates, quæ negotium facilè, vel prorsus intactum relinquant, seu reddant suspensum: Et tale de Augusta Wolffenbuttelenfi perhibet Testimonium: Index ille, ait, ea cura, eo successu est elaboratus jam, atque ad maturitatem perductus, ut omnem superet expectationem, & nec, voto quicquam magis

gis



gis omnibus perfectum numeris possit isthoc in genere expecti aut desiderari. In stuporem profectò abreptus ego sum, simul spectavi ingentem tot voluminum molem, quæ Indicem istū referunt: multo magis, ubi spissos illos, & amplissimæ magnitudinis Codices, curiosius inspicere cœpi & evolvere Librorum ipsorummet Index, integris quinque constat, vastis, regali, quam vocant, proceritate, voluminibus: seorsim duo sunt volumina, cū prioribus illis miro artificio connexa, non libros, sed Auctores memorantia. Quæres, quid ergo obstet, quo minus ille publicetur? Magnitudo Indicis: ea videlicet est ipsius prolixitas, ut vix duobus grandibus voluminibus, si etiam literas adhibeat minutiores, à typographo biennii spacio queat produci in lucem. Idem, quin & aliis omnibus primis, atq; ( ut ita dicam ] Regii ordinis Bibliothecis usu veniat, haud equidem dubito: quare de talium, integris sane, indicibus

pu.

publicandis, res apud me est plane deplorata. Sit ita! quod nactenus judiciousé, ut solet, exposuit Conringius, frustra regiarum Bibliothecarum Indices integros expectari. Res né difficilis effectu et impossibilis erit, Indices conficere, ordinare, edere præcipuæ partis, librorum rariorum, veterum, & ferè incognitorum? conscribere & publicare Bibliothecarum non valdè prolixarum? contexere & lucidare libros & Authores, quos alii regiarum Bibliothecarum Indices non exhibent? Magnæ sanè esset operæ pretium, si omnia, quæ in celeberrimis Bibliothecis *ἕξοχα ἀλλων*, per Indices editos, magis eruditis essent nota. Compendium duntaxat rei conficiendæ excogitandum est, fortassis non erit impossibile.

21. Deinde, qui extant Catalogi Bibliothecarum, plerique exhibent tantum Authores & libros typis impressos, Manuscriptos verò quasi hi vulgandi cuivis non essent, tacent, quò  
sit,

fit, ut passim latent MSSa, "orbi literato incognita, quemadmodum CL. Daenius ipse testatur, restare ac latitare passim Patrum Opuscula. Equidem communicarunt Orbi erudito nonnulli quoque Catalogos MSS. in Bibliothecis celebrioribus. Possevinus in Apparatu exhibuit MSS. Græcorum Catalogum secundum Alphabetum, in Italiâ, Romæ, Venetiis, Florentiâ, Urbini; Constantinopoli; in Germania Viennæ, Monachii, Augustæ, Heidelbergæ; item in Gallia & Hispaniâ, ibidem quoq; indicem MSS. Latinorum Romæ, Casenæ, Cremonæ, in Helvetiâ, Poloniâ, Anglia, proponit. Cantabrigiensis Acad. MSS. recensuit & edidit Thomas Jamesius in sua Eclogâ, Manuscriptorum Græcorum Codicum Bibliothecæ Augustanæ Catalogum bis edidit David Hæschelius, post quem aliquoties absolutior prodiit. Prætereo alios, Catalogum MSS. Bibliothecæ Bavaricæ; MSS. Bibl. Medicæ, & alios fortè ad-



modum paucos, ab aliis publicatos. Longè majorem numerum MSS. passim adhuc latere incognitum persuadeor. Atque in Bibliothecis celebrioribus reperiri insignem MSS. copiã, ab aliis publicè significatum est. Ita numerat bibliotheca Augusta Wolfenb. Volumina vicesies octies mille, ex quibus Codices MSS. sunt bis mille circiter, Græci, Latini, Hebræi, Arabici, aliarumq; Lingvarum, & quidem optimæ notæ omnes, complures hætenus typis non excusi. Ita Bon-garsiana numerat ultra 500. MSS. Ingens quoque MSS. Theſaurus in biblioth. bernensi, Mazarinianâ, Noribergensi, Tigurinâ &c. & apud Vos proculdubio reperitur, non celandus aut obſcondendus eruditis. Facerentque profectò utiliter, si cum MSS. bibliothecæ suæ publicis, etiam privatorum (multi enim hujuscemodi, vel per hereditatem, vel emtionem possidēt] MSS. ta, qui isthîc loci habent, publicè indicarent bibliothecarii. Sic enim,

enim, quod olim in bibliothecis occultatum, & vix precibus, ad visendum, vel describendum, impetrari potuit, publicè indicatum omnium usui proſtaret.

22. Equidem celeb. Conringius non malè observat, bonitatem bibliothecarum in Antiquorum Mss. copià unicè non constare, lib. de bibl. Aug. scribens: Caveas tibi ab errore, quò etiam doctissimos Viros teneri video, circa bonitatis bibliothecariæ justam æstimationem. Deprehendere nimirū est, persuasum quàm multis eorum, virtutem dotemque bonæ bibliothecæ unicè consistere in antiquorum manuscriptorum majore quovis numero. Inter ea a. ab aliis sola Græca & Latina; ab aliis, recentiore instituto, quæ Orientalibus ita appellatis lingvis, Hebraica scilicet, Chaldaica, Arabica, Persica, Coptica, Ethiopica, & similibus sunt composita, commendari. Non est a. difficile, errorem hunc convellere, si justum bibliothecæ ejusq;

jusq; Regiæ sue Maximæ scopum ex-  
 penderis: ut oportet sine omnia ex  
 usu suo æstimare. Est nimirum bi-  
 bliothecarum ejusmodi scopus, (is  
 certe debet esse) ut possint omnige-  
 næ doctrinæ atq; sapientiæ studiis  
 promptè offerre, vel omne vel saltem  
 potissimum, quod à doctorum ingeni-  
 is hætenus est elaboratum. Id scilicet  
 requiritur ad perfectum studiorum  
 commodum: quem ultimum meritò  
 dixeris bibliothecarum ejus generis  
 & verissimum finem. Jam v. nemo  
 utiq; temerè crediderit, in solis ma-  
 nuscriptis istis omnem sapientiam ha-  
 beri. Imò nemo paulum æqvior &  
 rerum peritior non fatebitur, multò  
 maximam partem eorum, quæ sciri in-  
 terest mortalium, post illa dudum  
 exarata, à sequentium temporum, cū-  
 primis hosce intra ducentos annos, à  
 præstantissimi Ingenii Viris complu-  
 ribus, orbi productam esse. &c. Vid.  
 ib. plura, ubi latè argumentum hoc  
 persequitur. Sed nec malè respon-  
 dit



dit celeb. Hottingerus in bibl. Quadrip. p. m. 96. Negari tamen non potest, Mss. ejusmodi, non modò bibliothecæ esse ornamenta, sed & necessaria sæpè alimenta. Quamvis Regum, Principum, & Rerum publicarum potius, quam privatorum cura de iis esse debeat. Additq; mox de Orientis spoliis: Præclarè rei consulerent literariæ, si ex Oriente tam Christianorum, quàm Muhammedanorū, Sinensium, Judæorum, Karreorum, & Phariseorum, Samaritanorum &c. ea paulatim conquirentur subsidia, quæ Tractationi Theologicæ plenioris, sive *ἰσορροπῆς* sive *δογματικῆς*, multis nominibus inserviunt. Hanc nobis necessitatem imponere videntur *οἱ ἐξ ἐναντίας* qui plenis nos lateribus ad certamen Orientis provocant, suæq; *καινοτομίας* subsidia inde, novo conatu, petunt. Orientalia rara esse & chara, non est quod amplius moneam: Supra jam diximus, vel Regibus & Principibus has deberi deli-

cias, vel, si in privatis reperiantur Bibliothecis, raras illas esse aves.

23. Animadverto etiam, in Catalogis Bibliothecarum molis & numeri majorem sæpè, quam pretii haberi rationem, indeq; in recensione librorum plerumq; negligi, saltem miscellorum ac variorum titulo conjunctim exhiberi, dissertationes, programmata, imitationes, carmina, & id genus alia, quæ tamen sæpè ad historiam, & alios usus insigniter conducunt, uti pluribus infra §. 34. monebo. Non ergò planè præteriri, ac omni silentio involvi, aut tali titulo, qui eorum distinctam notitiam haud præbet, indicari debebant, sed potius ejuscemodi mentio infitui, ut quilibet cognitionem illorum, si non sufficientem, saltem aliquã & confusam habere posset.

De

24. De rebus memorabilibus, mirabilibus, & singularibus Bibliothecarum § 27. dixi, eas ferè in arcis, scriniis & capsulis asservari, ac, non nisi amicis & familiaribus ostendi. Heic noto, indices publicos rerum rararum ac mirabilium rarissimos esse. An fortè ideò, ne, si publicè recenserentur, vel per vim, vel preces majorum, vel alia ratione, in aliorum manus perveniant? Certum enim est, quò quid rarius, eò cupidius quæri. Incredibilis Thesaurus est, Bibliotheca optimis libris instructa, cum rerum antiquarum, exoticarum, mirarū, rararum & singularum gazophylacio, & passim hujusmodi Cime-liarchia, tum naturæ miraculis, tum artificiiis, exoticis & domesticis, nummis item, sculpturis & picturis rarissimis, veteribus & re-

cen-



centibus, instructissima ; sed dum occultantur, & latens, defossa qs. in terram jacent, compluribus fū-  
 damenta præbitura, rectius & so-  
 lidius de variis rebus scribendi.  
 Admitti ergò, non tātum debent  
 Amici præsentis ad gazophylacia,  
 sed etiam absentibus ea, partici-  
 pationem optantibus, per indices  
 & descriptiones patere debent.  
 Certè eruditi Orbis interest, talia  
 memorabilia & cimelia Bibliothecarum  
 publicari, quemadmodum  
 Dn. Leibnützius, eo proculdubio  
 sine, Memorabilia Bibliothecæ  
 Augustanæ in lucem publicam  
 produxit. Quem si alii sequerentur,  
 rem prorsus utilem reip. lite-  
 rariæ facerent. Novi, Vestram  
 Bibliothecam rarissimis nummis  
 inclutam esse, quos B. Dn. Geb-  
 hardus præceptor fidelissimus,  
 post

post cineres mihi venerandus, olim ostendit quos si Tu, Vir Amplissime, Orbi erudito exhiberes descriptos, gloriam harū divitiarum iste prædicaturus, Tu v. reportaturus esses nequaquã exiguã.

25. Tandem Catalogorum Bibliothecarum continuationem desiderari animadverto. Rari sunt isti, rarior autem illorum continuatio: cum tamen quotannis aliquod, DEi benedictione, augmentum accedat, vel ex liberalitate Evergetarum, vel annuo constituto proventu, parvo licet & exiguo. Quapropter, cum per aliquot annos numerus paulatim crescat, Continuatio Indicis vel singulis trienniis, vel quinquenniis publicari debet, prouti scilicet augmenta cujuslibet Bibliothecæ, aut loci id svaserint habitatores ac φιλόβιβλοι.

26. Præter Catalogos Bibliothecarum, etiam Authorum Bibliothecæ & varii Indices, emissi in lucem sunt,

Q

940-

quorum ingens numerus apud Gesne-  
 rum in Pandect. p. 28, seq. Phil. Labbe-  
 um in Bibliotheca Biblioth. & Teoph.  
 Spizelium legi potest: hodieq; publi-  
 cari magnâ varietate & multitudine  
 à variis varios, animadverto. Non  
 absq; usu ac voluptate *Φιλοβιβλων*  
 id fieri, certum quidem est, cum vel so-  
 la titulorum recensio, haud levitet fa-  
 ciat ad comparandam librorum noti-  
 tiam; attamen, quod rectè monet  
 Conringius, non sufficit ad plenam li-  
 brorum experientiam, librorum titu-  
 los novisse. Addit autem: Nescio ta-  
 men, quâ arcanâ voluptate, vel soli ti-  
 tulli librorū mulceant ingenuos quos-  
 q; *Φιλομαθεïs* animos. Quod perci-  
 pere est saltem ex lectione Indicū [ ut  
 recentiores nostros complures taceã ]  
 quos Diogenes Laërtius de Philoso-  
 phicis, & post Eusebium Hieronymus  
 de Ecclesiasticis, quâm multos: quem-  
 que item singularem de scriptis unius  
 Augustini Posidonius, de Plutarchi  
 Lamprias, de propriis Galenus, ad



posteritatem transmiserunt, cum tamen pleraque in iis commemorata dudum perierint. Recensent inter recentiores, Königius in Bibliothecâ V. & N. Hallervordius in Curiosâ, Buxtorffius in Rabbinicâ, Kempius in Anglicanâ, & alii in suis Authorum Bibliothecis; varia scripta, tractatus & libros, quorum non pauci ad plurimum visum, & cognitionem pleniorē haud pervenerunt, interim scire, extare eosdem, & si opus, indagare apud alios, & indagatos vel acquirere, vel saltem mutuo accipere, admodum iuvat.

27. Ita delectat & iuvat, videre & percurrere privatorum Indices, tum bibliopolarum, qui notitiæ ergo libros suos venales, catalogo edito, describunt, uti sunt Enderorum, & Hoffmanni, Noribergensium, Tankii Dantiscani, & aliorum: tum Typographorum, qui, quæ suis excuderunt typis scripta, itidem catalogo edito, exponunt, quales ipse etiam

Gesnerus, cum pandectis suis publicavit, a hodiernum in Germaniâ & Belgio à quibusdam vulgantur, idque, si ab aliis fieret, non absq; usu foret *etiam* Bibliothecarum, ab obitu possessorum publicè venum expositarum, quales in Belgio quotannis evulgati, nec non aliorum, ad nos perveniunt. Estque mos ille, relictas bibliothecas divendendi, etiam alibi institutus, & nuper etiam apud nos inchoatus. Quamvis verò, non omnes omnibus profint, cum in tantâ multiplicatione ejuscemodi Catalogorum, iidem ferme libri recenseantur, & docti legendis iis tempus terant inutiliter, paucos reperientes, non lectos in altero quopiam: Tamen curiosis quibusvis, & imprimis bibliothecariis, novos subinde inquirantibus, pellegere haud grave erit. Interim admonere illud viros literatos, dum occasionem accipio, forsitan haud inutile. Veluti memorati librorum Indices tam promptè communicantur, ut rei literariae, ejus-

ejusq; cultoribus, inserviat: Ita proculdubio è re esset, si tam promte catalogos librorum docti Viri, unius Urbis incolæ, sibi invicem communicarēt, ut, quibus alter destitueretur, alter commodare & succurrere posset. Nam sunt amicorum bona communia. Omne enim bonum sui communicativum est & diffusivum.

28. Non minorem delectationem & utilitatem habent publici nundinarii catalogi, qui singulis semestribus nundinis in Germaniâ, Francofurti & Lipsiæ, publicantur. Sed illi, ut in propatulo est, superflui & imperfecti sunt. Id quod sine contradictione illis tribuo, diverso respectu intellectum. Nam multos exhibent lectori libros & tractatus, qui nondum sunt in rerum naturâ, eosq; promissos sæpè eruditus orbis frustra expectat, vel quod nondum sunt elaborati, vel quod sumtibus excudendi necessarius destituuntur. Cum itaque



cam & exoticam, ex Catalogis istis  
 Francofurtensibus & Lipsiensibus  
 collegerit, cumque editis, non edi-  
 tos, qui posthac, promissi licet, non  
 viderunt lucem, inseruerit, necessum  
 est, ut fallat Lectorem, potissimum e-  
 um, qui ipsi fidem habens, in scriptis  
 suis allegat, de hac vel illa materiâ  
 authores, promissos quidem, sed non  
 editos. Idcirco in nundinariis istis  
 Catalogis, libri promissi, sive elabo-  
 rati sint sive non, ab illis, qui typis  
 excusi in ea loca venales importan-  
 tur, separari deberent, & peculiarem  
 locum occupare. Cum enim finem &  
 scopum habeant suum, ob quem Au-  
 thores edenda sua, Catalogo libro-  
 rum inseri cupiunt, tum, ut resciscant,  
 num eruditis placeat labor, si quærant  
 & postulent apud Bibliopolas, tum ut  
 alios, in eodem argumento labo-  
 rantes, studia sua mutuis auxiliis  
 sublevare invitent, tum ut alios  
 majori cura, vel otio, vel admi-  
 niculis sive subsidiis præ se instructos  
 ad illa perficienda excitent, quemad-

modum CL. Leusdem suis promissis  
 D. D. Gutbiri, & D. D. Seb. Schmidt,  
 ad molestos labores excitasse, seque  
 eo liberatum gaudet & lætatur, præ-  
 fat. Philologi Græci, & Append. Clav.  
 Hebr. p. 531. 532. Ideo perquam utile  
 est, ut edituri scriptum; significant id  
 & communicent cum eruditis Viris,  
 ut magis politum & solidum, videat  
 lucem. Solent quoque nonnulli eâ  
 de causâ tum editos à se libros, tum e-  
 dendos, Orbis erudito notos facere, id-  
 que laudabile institutum est, quod e-  
 tiam Naudæus in Vita Cardani com-  
 mendat. Dixi verò, Catalogos istos  
 publicos etiam imperfectos esse. Nam  
 multa ab Authoribus passim eduntur  
 opuscula, quæ etiam venalia appor-  
 tantur, sed tituli istorum Catalogis  
 inserti non leguntur: multa neque in  
 Catalogo repræsentantur, neque à  
 bibliopolis, ut publicè proferant (for-  
 tassis quod sumtibus authoris excusa)  
 recipiuntur, hinc in tenebris latitant,  
 atque ad doctorum notitiam, nun-

quam aut serò perveniunt, egregiè licet elaborata. Verùm huic rei facile mederi est, si Authores librorum suorum inscriptiones mittant catalogis inferendas.

29. Porrò magnam quoq; utilitatem cum jucunditate conjunctam habent Universales Authorum Bibliothecæ, exhibentes promiscuè omnium in universum, quotqvot cogniti sunt, Scriptorum varii generis libros ac labores, nulla habitâ ratione, sive disciplinarum, sive ætatis, sive gentis, sive aliarum differentiarum. Hujusmodi Bibliothecam universalem, s. Catalogum omnium scriptorū locupletissimum, primus edidit in Germania, Conr. Gesnerus, Tiguri 1545. jure merito à Conringio, Viro laudato, τῆς ἐμπειρίας βιβλιακῆς summus artifex ac princeps laudatus. Nam ante ipsum, quod ego sciam, nemo simile opus tentavit multominus perfecit. Nisi quod Suidas ex antiquioribus, in Collectaneis suis de varii generis & ætatis doctis hominibus & libris ab eis con-



scriptis egit. Postea Conradus Lycosthenes, hæc nunquam satis laudatam Bibliothecam Gesnerianam, in epitomen contraxit, & mille ac octingentis circiter authoribus auctâ, 1551. publicavit. Eandem Epitomen deinceps recognitam, & plus quàm bis mille authoribus auctam, edidit Joh. Simlerus 1555, isque secundùm, accessione Authorum locupletatam, publicavit 1574. Denique Supplementum ejus confecit, & in lucem edidit Antonius Verderius, Lugduni 1585. Ab eo tempore, nemo, quod sciam, ejusmodi Universalem Catalogum omnis generis scriptorum, ab iisque compositorum librorum, edidit: usquàm CL. Vir, Dn. Matthias König, Bibliothecam Vet. & Novam, Altdorfii comportatam publicavit, Occupatus est in simili operâ Berlini Vir Amplissimus, Dn. Hendreich, tum hujus tum istius Biblioth. superaturus, uti Specimen Pandectarum Brandenburgensium ostendit typis

exscriptum. Exhibuit etiam Specimen  
 Novæ Bibliothecæ Uniuersalis Dn.  
 Th. Spizelius in sacris Bibliothecarum  
 arcanis reiectis, itēq; Philip. Labbeus,  
 quæ an sperandæ sint, subdubito.

30. Sed & de his Bibliothecis cogitationes in mentem veniunt, utrum rei literariæ atque librariæ proficuum sit, novas ejusmodi bibliothecas universales, doctorum quorumvis sine discrimine labores ac libros designantes, in lucem edere. Nam, præterquam quod Authores, eorumque labores in hoc genere magna cum molestiâ exantlati, oblivione sepeliuntur, absq; necessitate, cumque incommodo multiplicari videntur, cum eodem, uti præcedentes, sint imperfectæ, eosdemque iterum Authores & libros recenseant, atque hinc auctiores & meliores præferantur cæteris, difficulter dividendis, cum tamen hi libri non sint omnium, & imprimis pro bibliothecis publicis, & ferè vel à curiosis, vel divitibus, acquirantur.

tur.

tur. Satius igitur esset, ut (1) Gesneri Bibliotheca, quæ amplius non proficit, & incredibili industria perfecta est, sequæ ipsam ob addita iudicia & argumenta, maximoperè commendat, rursus typis excuderetur. [2]

Continuatio duntaxat institueretur, eaque perpetua, quæ omisos ab isto & aliis, & recentiores scriptores ac libros, referret. [3] Errores, & si quid alicubi circa Authorum, vel nomina, vel libros, prætervisum esset, detegerentur, ac notarentur, uti Lambecius in commentariis de Biblioth. Aug. Vindob. passim fecit. (4) Omnes Bibliothecæ, quarum certè interest, Catalogis hisce scriptorum universalibus, providerentur, ut singuli literati, quorum multi carere possunt, datâ occasione, vel necessitate, eos consulere possent. (5) Unius Authoris scripta sedulò conquirentur, ne desit quicquam, ad quod prodest cuiusvis Authoris catalogus, uti sunt, e. g. Gretseri, Petavii, &c.



21. Denique, cum Bibliothecæ hæ sint universales, & juxta alphabeti ordinem, Authores recenseant, utile & jucundum est, in promptu habere bibliothecas particulares, quæ facultatum, Disciplinarum, & Doctrinarum, imò & Gentium, ac Temporum rationem attendunt. Ex quibus specialioribus, confieri ac comportari possent Bibliothecæ Universales. Sic, optimo instituto, nonnulli Bibliothecas Theologicas ediderunt, in quibus noti sunt Gesnerus, Hottingerus, Draudius, Bolduanus: Alii Bibliothecas Juridicas, in quibus celebres sunt Fichardus, Gesnerus, Zilletus, Contelorius: Alii Medicas, in quibus innotuere Otto Brunfelsius, Gesnerus, Paschalis Gallus, Is. Spachius, Schenckius: Alii Philosophicas, in quibus Laërtius, Gesnerus, Bolduanus, Draudius, Spachius, &c. inclaruerunt. Suntq; omnes laude digni, Musaq; vetat illos mori.

32. Alii, ut magis profint, magis spe-

specialium doctrinarum ac notitiarum rationem habuerunt. Ita nonnulli Bibliothecam Authorum publicarunt, qui in S. scripturam commentati sunt, seu omnem, seu ejus partes & libros quosdam, ex quibus sunt, Antonius Possevinus, Sixtus Senensis, Andreas Schottus, Dorscheus, Bolduanus. Alii Authores designarunt, qui Locos Theologicos, & libros dogmatico-polemicos ediderunt, quemadmodum peculiari sectione, in præced. §. nominati authores, & Hottingerus, Voëtius, Meierus, Gerhardus, Calovius, Olearius &c. fecerunt. Alii Bibliothecam Patrum, uti Hieronymus, Gennadius, Trithemius, Bellarminus, Labbeus, Gerhardus, Olearius. Alii de Theologis, Jctis, Medicis, Philosophis, secundum ætates egerunt. Quidam Catalogum Interpretum & Commentatorum in Platonem & Aristotelem &c. publicarunt. Alii Bibliographiam Physicam, Moralem, Logicam, Politicam, Militarem, Mathematicam, e-

diderunt. Sunt, qui de Historicis, tum in genere, tū in specie, de Latinis, Græcis, Germanicis &c. peculiare Catalogos & Tractatus scripserunt, inter quos maximā cū Tuā laude numeraris, ob editos sã te libros de Byzãtinis, & Romanarum Rerum Scriptoribus, omnium iudicio commendabiles. Sic alii de Oratoribus, Poëtis, Grammaticis, Musicis, Piëtoribus &c, Indices in lucem dederunt, Alii certæ Gentis Scriptores collegerunt. Hebræos, Arabes, Græcos, Latinos, Italicos, Hispanicos, Gallicos; Anglicos, Germanicos, Belgicos &c, Et inter hos benè mereberis, si, quod Tuum diu institutum fuit, Silesios Tuos, & alios, quos Adversaria tua promittunt, patriæ bono aliquando evulgaveris, cumq; eruditis communicaveris. Sunt, qui vitæ genus, & generis sexum respicientes, peculiare scripserunt libros, alii de Caesaribus; alii de Pontificibus, alii de Cardinalibus, alii de claris Professoribus, alii de Jesuitis, alii de claris & doctis sceminis &c, quos CL. Vogle-



rus Introd. Universal. in notit. scri-  
ptor. doctissimè recenset, additis nota-  
tu dignis observationibus.

33. Nihil hic habeo, quod addam  
aliorum monitis, nisi quod optem (1)  
Optimarum harum jam memoratarū  
Bibliothecarum, justo ordine disposi-  
tarum, continuationem perpetuam, ut  
hac ratione habeatur interruptus, tam  
scientiarum, artiumq; , expolitarum  
atque auctarum, tum aliarum quoque  
notitiarum, Catalogus, isq; chronolo-  
gicus & completus, quàm enim utilis  
orbi erudito futurus esset, non est, ut  
multis exponam. Quid singulis an-  
nis in Facultate Medicà, vel novi, vel  
emendati, in publicam lucem prodit,  
Curiosorum Ephemerides, magno uti-  
que cum fructu memorant, eundem-  
que in finem Cornel. à Beughem suam  
Bibliographiam Medicam & Physi-  
cam edidit, eamque quotannis con-  
tinuandam. (2) Judicia de Authori-  
bus, eorumque libris apponi, recta at-  
que sincera, cum potissimis eorum ar-  
gumen-

gumentis, id enim junioribus & im-  
 peritis, qui vel exiguam, vel nullam  
 istorum haberent notitiam, valde pe-  
 re conduceret. Monuit hanc de re jam  
 ipse Gesnerus, qui, cum id praestitisset  
 in sua bibliotheca, de Simleri & Ly-  
 costhenis Epitome tale fert iudicium:  
 Hoc interest, quod bibliotheca (mea)  
 plerorumque librorum, praesertim ve-  
 terum, argumenta recenset, & non ra-  
 ro censuras, tum nostras, tum aliorum  
 saepius adscribit: ac simul plerumque; a-  
 liquod styli authorum specimen exhi-  
 bet: & alia quaedam interdum addit  
 non inutilia, nec injucunda scitu.  
 Quibus omnibus Epitome caret, sola  
 ferè authorum nomina cum suis scri-  
 ptis brevissimè enumerans, Atque  
 haec praecipua Bibliothecae utilitas est,  
 ut cognitio ex ea, qui extant, Scriptori-  
 bus, & quid quisque scripserit, quo-  
 modo, quatenus, quoque stylo, & hu-  
 jusmodi, studiosi inde habito delectu,  
 quos voluerint sibi libros parent. Quae  
 quidem utilitas aequè ex Epitome non  
 con-

contigit, &c. Observasti id laudabiliter, Vir Excellentissime, in de Scriptoribus Romanis & Byzantinis libris, ubi vitas eorum, scripta, aliorumque de iis judicia distinctiorem in modum exhibuisti. Simile quippiam, præter Anglos, & Galli hæctenus præstiterunt, quorum exemplum imitati sunt præterito anno Lipsienses, qui universalem quendam rei literariæ historiã adornare aggressi sunt, in nostra Germaniã, ita quidem, ut singulis mensibus certa actorum Eruditorum pars lucem aspiciat, & judicium de omnibus feratur candidum & laudativum. Sed præter diffusam illam historiã, conduceret habere tale quippiam in omni facultate & notitia, appositis semper rectis & candidis judiciis. Quàm enim hic peccetur, eruditis cumprimis notum est. [3] Tuo exemplò, quò præiisti memoratis jam libris, optem, præmitti in singulis Scriptoribus prosopographiam, saltè brevem, quemadmodum Gerhardus  
& O.



& Olearius in Patrologia id obser-  
 vant. Equidem prosta it separatim  
 Vitæ clarorum Virorum, ex omni na-  
 tione, à Mel. Adami, Gvil. Batesio,  
 Henning Witten, aliisque editæ, sed  
 non nisi celebriorum sunt, quæ propter  
 & aliorum benemeritorum, etsi non  
 clarorum, Memoriz posteritati re-  
 linqvendæ essent, cum debitâ benea-  
 ctorum commemoratione, & virtutû,  
 quas Deus vult agnosci [ cum de ipso  
 sint testimonia, & nulla sit sine Deo ]  
 collaudatione. Conduceret verò, ut  
 uniuscujusque loci clarorum & bene-  
 meritorum Virorum Vitæ describe-  
 rentur, ex iis enim postea breviter pos-  
 sent enotare alii, quæ de Scriptorum  
 Patriâ, Vitâ, actis, dicenda essent.  
 Nullum est, inquit Plinius l. 35. c. 2.  
 majus felicitatis specimen, quam  
 semper omnes scire cupere qualis fu-  
 erit aliquis.

34. Ultimo tandem loco Bi-  
 bliothecas reales sisto, quas si o-  
 perosius commendarem, lumen  
 soli

soli inferrem, aut in meridie lucem accenderem. Invenio autem & in illis, quod desidero. *Primo* quidem Continuationem, quæ, post laborem Gesnerianum, inchoata, sed postea interrupta, imò planè omissa est, ut innumera ab illo tempore, & egregia, de variis materiis latitent opuscula, orbi erudito incognita. Uti ergò Bibliothecæ Authorum, ita reales quoque continuandæ, atq; ex Catalogis editis & ineditis, quibus tutò credi potest. Materiæ cognoscendæ, conquirendæ, inspiciendæ, & inserendæ sunt. Fateatur ingenuè ad CL. Lipenium in Bibl. Philosoph. præf. Epistol. Abr. Hinckelmannus: *Perfectum* quid in eo opere postulare, quod semper est quasi novum, accedente quotidie, aut observata saltem, novorum Scriptorum copia: idem est ac immensas Oceani aquas, in u-

nus fontis angustias includere &c. Unde quod imperfectum, ut magis magisque compleatur, non tantum pridem edita, sed incognita, inquiri, sed etiam, quæ noviter eduntur, quælibet Academia, & quælibet regio sive provincia per Bibliothecarium, si habet, annuatim intimari ac recenseri debet, imprimis quicquid in scientiis & artibus novi vel inventum, vel emendatum, vel auctum, ita ut quotannis in quolibet facultate Catalogus prodeat.

35. Deinde & in his Bibliothecis animadverto, libros molis potissimum attendi, omissis minoribus plerumque tractatibus & disputationibus, cum tamen quantitatis hinc nulla sit efficacia, & una sæpè pagella plus succi & bonæ

næ



næ frugis habeat, quam spissum  
 chartarum Volumen. Unde ma-  
 gno hæc reipublicæ literariæ dis-  
 pendio negligi, prolixè monet  
 Naudæus lib. de instituend. Bibli-  
 oth. pag. 76. & 99. CL. Lipenius  
 verò hoc observans, publica Aca-  
 demiarum & Scholarum exerci-  
 tia, quæ ad notitiam ipsius. vene-  
 runt, inseruit, quia scilicet illis,  
 iudicio Hottingeri c. l. p. 5. mul-  
 tum deferendum est: sive quod  
 publicam publicis disquisitioni-  
 bus conciliatam habeant autho-  
 ritatem, sive quod multi, iiqve  
 doctissimi Viri, nullo alio scriben-  
 di genere, voluerint inclarescere,  
 sive quod *συμφορὴν ἀγερῆ*, & fusi  
 aliorum conceptus compendiosè  
 proponantur, sive deniq; , quod  
 jucundâ varietate non parùm o-  
 blectent. Equidem plerisque (ait  
 p. 95.)

p. 95.) istæ pagellæ sordent, quæ si indignæ, quæ vel numerum in Bibliotheca faciant, vel lacunam impleant. Mihi planè aliud fuit hæcenus institutum, cujus nec dum me poenitet. Non unam habitarum disputationum chiliadè possideo, & thesaurum eo majori habeo loco, quò semel amissus potest incommodius reparari. Omnino ergò pertinent ad supellectilem librariam; neque enim quàm multa, sed quàm bona dixerit author, scire refert.

36. *Insuper* video, exhiberi nonnunquam fallentes librorum titulos, qui agunt de aliis, cum argumentum sit de cepis. Speciosissimus interdum vultus præclaram corporis pollicetur *εὐεξία*, sed diligentius inspectus turpiter fallit, & hiantem lectorem artifi-

artificiosè deludit, quemadmodum Φιλοβιβλοῖς abūdè per experientiam constat. Unumquodque ergò authoris scriptum non ad eam, quam titulo superbo ambit, sed quæ ei deberur, categoriam referri debet. Delectantur nonnulli librorum frontispiciis figuratis, Orientales, Hebræos, Syros & Arabes, quibus id maximè in usu, secuti, reducenda ergò sunt ad propria, ne liber occupet spatium in Bibliothecâ absque ullo usu.

37. *Non autem* video, cur Bibliothecæ reales non habeant alios, quàm impressos, cum tamen nec pauci, nec exigui commatis Manuscripti, in celebrioribus civitatibus, de rebus varii argumenti, reperiantur, consulendi & conferendi, tum ab illis, qui præsen-  
tes



tes habere & introspicere possunt, tum per hos quoq; ab aliis, qui rei literariæ litantes, de eadem materiâ, vel tractant, vel scribunt.

38, Perspicio *deniq;*, specialia librorum argumenta negligi, quæ enim frontispicia promittunt, solummodò exhibentur, cum tamè sæpe titulus sit nimis generalis, libri verò cõtenta sint varia ac miscellanea, quæ non minus, quàm liber ipse, nota esse debebant. Ira curioso non sufficit, scire hunc vel illum orationes scripsisse, sed etiam nosse cupit, de quibus argumentis ac thematibus habuerit. Complectitur interdum liber peculiare tractatus, qui universali titulò indignantur, cum tamen ipsorum tractatum notitia quàm maximè desideretur à curiosis. Itaque specialia illa ac potissima libri

libri argumenta, vel ad suos titulos in Bibliothecâ, quæ res secundum titulos librorum recenset, sunt referenda, vel Bibliotheca specialium rerum peculiaris constituenda est, quâ res & quæstiones sparsim pertractatæ exhibendæ sunt. Imò si res, incidenter ab Authoribus elucidatæ, notarentur, negotium quidem esset negotiosum, sed fructuosum etiam maximè. Cum enim unius hominis non sit omnes libros pervolvere, legere, excerpere, multorum autem lectio ad pertractationem thematicam rariorem ac singulariorem requiratur, sanè possent, si vellet, subvenire sibi invicem literati, colligendo, quæ ab aliis, Grutero, Langio, Magiro, aliis, omissa sunt, & peculiarem sive specialem Bibliothecam Locorum Communiû comportando. Id quod facilè institui atq; inchoari posset per Societatem quandam in Civitate ac Academiâ qualibet: qualem ipse, frustra emisso Desiderio auxilium hætenus expectans, cum Amicis

D

qui-

quibusdam interea hinc inii, cui si plures sua nomina cum industria dederint, non exiguum fructum rei literariae me procuraturum esse, confido.

39. Breviter haec tenus animi mei sensa de Bibliothecis aperui, mihiq; animadversos defectus nonnullos, circa earum genera notavi, cum subjunctis monitis, & consiliis sive remediis, à prudentioribus examinandis, ulteriusque ponderandis, & quæ bona vel utilia visa fuerint, expediendis. Mihi sic videtur, & ex dictis aliis quoq; fortassis apparet, admodum fructuosum esse, si, quandoquidem unus vel alter ex memoratis rem innumeram non conficiat, Societas quædam inter Bibliothecarios in Germaniam iniretur, quibus Respublica literaria, resq; libraria in desideratissimis esset, quiq; huic juvanda, provehenda, exornanda, auxiliatrices sibi invicem ferrent manus, & alios insuper adoptarent, ac sibi substituerent *συνέργως Φιλοπόνως*, qui strenuè laborare, & rem literariam provehere vellent ac possent.



40. Hæc Societas, ut fructuosior  
 esset ecclesiæ, (1) Major authoritas &  
 honor (6) Bibliothecariis conferen-  
 dus, ut sint quasi Reipubl. literariæ  
 Archivarii & Cancellarii: nam & o-  
 lim quàm honorata Bibliothecarum  
 fuit sparta. Et hodiè Romæ Biblio-  
 thecæ Vaticanæ præfecti dicuntur Cu-  
 stodes, ast Bibliothecarii titulus, pe-  
 nes unum semper est ex Eminentissi-  
 mo Cardinalium Collegio, teste Lam-  
 bezio lib. 7, p. 14. qui verbis Hug. Blo-  
 tii de Bibliothecarii dignitate plura ibi  
 memorat. (2) Conferenda essent pri-  
 vilegia à Principe & summo Magi-  
 stratu, pro re literariâ, liberè & abs-  
 que sumptibus, provehendâ. (3) Con-  
 siliis quoque & auxiliis Magnatum ac  
 Doctorum illis ipsis esset subvenien-  
 dum, (4) Liberale (7) & sufficiens  
 stipendium dandum, & sola hæc spar-  
 ta conferenda, quò majorem impen-  
 dere possent operam bibliothecis au-  
 gendis & colligendis.

41. Officium Bibliothecariorum.

D. 3

præ-

præter ordinarias occupationes, in Societate requireret [1] Rem literariam & librariam pro virili curare, eiq; providere. (2) Bibliopolas & Typographos regere, & consilia suppeditare. (3) Cavere ac dehortari, ne damna sibi invicem inferant. (4) Curare, ut libri, vel in eadem formâ recudantur, vel editionis veteris paginæ, in novæ marginibus apponantur. (5) Leges dare & præscribere, libris Bibliothecæ utentibus. (6) Publicè monere, quæ scribenda vel continuanda essent. (7) Salutaria suggerere consilia Magistratui Politico-Ecclesiastico de libris vel edendis vel supprimendis. Et quæ alia, Societas hæc, exequenda utiliter inventura esset.

42. Hoc enim mihi certum est, uberrimos ex hac Societate fructus carptum iri. Nam (1) prohiberetur scribaci seculo, ne tot vani libri ederentur, & editi boni, toties mutarentur vel augerentur, non parvo ementium incommodo ac damno. (2) Scripturi-

pturientes ipsi abstinere, videntes, jam de ista materiâ, quam animô ferunt, ab aliis scriptum esse, aut insigniter emendarent, vel auferrent, ingenio præditi. (3) Multi timerent de chartâ in papyrum scribere. [4] Incommoda nec parva nec pauca vitarentur. (5) Argumentorum ac materialiarum ex libris & Authoribus quibusvis collectio urgeretur ac dirigeretur &c.

43. Atque hæc sunt, quæ de Bibliothecis & Literariâ Societate, Tecum, Vir Amplissime, communicare volui debui. Volui, ut, si inter has cogitationes Reipubl. literariæ quædam forent salutare, hæc demonstrarem in dicitinâ, quàm charæ mihi sint literæ, & quàm promptus ego, si possem, ad illas promovendas. Debui quia dudum pollicitus sum tibi transcribere, quæ animô fovi, deque his sincerum Tuum iudicium expetere: neque potui, nisi Tecum, Amico vetere, studiorum Formatore olim ac Promotore, ac Reipubl.

D 3

Bibliæ



Bibliothecariæ Præfecto. Boni itaq;  
 consules institutum meum, & si pro-  
 baveris, vel meis, vel Tuis, quod ma-  
 lim, verbis, aliis quoque Amicis ape-  
 rias, ac pluribus persequeris. Interea  
 vale, Venerande Domine & Fautor  
 honoratissime, meque solito amore  
 prosequere. Dab, è Museo. d. 9. No-  
 vembr. 1683.

## 44. ADDENDA.

Quibus dicta in præced. epist. non-  
 nulla confirmantur & illustrantur  
 Aliorum testimoniis,

## Ad §. 3. (α)

Cicero l, 4. ad Atticum ep. 9. Ego hic  
 pascor in Bibliotheca Fausti: Uti verò &  
 cæteris oblectationibus desero & volu-  
 ptatibus propter Rempub. sic literis recreor  
 & sustentor, maloq; in illa bibliotheca tuâ,  
 quam habes, sub imagine Aristotelis sedere,  
 quam in istorum sellâ curuli. Idem lib. 3. de  
 fin. En ipsum Catonem, in bibliothecâ se-  
 dentem, multis circumfusum Stoicorum  
 libris.

Ad

## Ad §. 6. (β)

Bibliothecarum summam utilitatem ac necessitatem, passim deprædicat Dn. Rud. Capellus in Lectionum Bibliothec. Memor. Syntagmate §. 5. 6. 7. sq. ex Castellano lib. 3. c. 15. cujus verba allegavi, Franciscus Patricius l. 2. tit. 15. scribit: Non est permit- tendum, ut cives nostri, tanto munere, [nempe Bibliotheca] fraudentur. Si enim palaestra, quæ corpus adjuvat, tanto studio, tantaq; impensâ, in pleriq; urbibus statuitur, quanto magis bibliotheca ornanda erit, quæ est pabulum mentis bene instituta & exercitatio animi ingenii. Gvil. Me- chovius in Hermathene Tr. 3. c. 10. Sine bibliothecâ ad eruditionem non veni- tur. Quicquid n. de ingredienda & susci- pienda studiorum ratione hætenus traditû, id totum nihil est, nisi sacras istas animas in lavario habeas, à quibus & præcepta sa- lutaria, & artes bonæ, & omnis doctrina liberalis provenerunt. Vidit hæc jam diu Plutarchus, quando ait instrumentum e- ruditionis esse usam librorum ὄργανον τῆς παιδείας ἢ χεῖρσις τῶν βιβλίων ἐστίν.

Si quis igitur animum scientiis ac discipli-  
 nis excolere volet, & vita huius viam de-  
 center conficere, is eos merito comites sibi  
 adjunget, qui ad hoc fastigium scienter &  
 perite nos educent. Claudius Clemens  
 Ornacensis Soc. J. Regius Professor  
 Eruditionis in Colleg. Madritens, lib.  
 1. Musei S. Bibl. Sect. 1. c. 3. p. 7. & 8.  
 Primo loco statuendus finis extruendarum  
 Bibliothecarum, eruditio acqvirenda. Bi-  
 bliothecarum n. beneficium est, ut in om-  
 nium haectenus sapientium possessiones fi-  
 gere possis vestigium, & quasi heredita-  
 tem tibi relictam cernere. Utinam [dixit  
 aliquando Hieronymus) utinam omnium  
 tractatorum volumina habere, ut tardi-  
 tatem ingenii lectionis diligentia compen-  
 sare. Intelligebat vir ingeniosissimus  
 ex Bibliothecarum fodinis erui purum pu-  
 tum auri, idq. a libris praestari hominibus.  
 Ego dicere soleo, nihil aliud esse Bibliothe-  
 cas, quam decantatam illam Phœbi cor-  
 tinam, unde responsa fundebantur illam  
 adeantibus: vel Logothecam Minerva, vel  
 celebre Mercurii Salinum quod λόγιον  
 ap-



appellant, unde candidissimos sales prome-  
bant omnes facultates & scientia: nihil  
aliud esse bibliothecas, quàm omnium ar-  
tium doctrinarumque Myrothecium & Se-  
plasmam, unde singula accipiunt vel stibi-  
um, vel cerussam, vel minium, vel alia hu-  
jusmodi, seu pigmentorum lenocinia ad  
venustatem, seu odorum suavitates ad de-  
licias, seu succorum præstantiam ad sani-  
tatem & robur, ut se comant, poliant, ve-  
nustent, exhiberent; deniq; esse acervum  
omnis sapientia, è quò pro suo jure singuli  
sumere possint, quod sibi necessarium, vel  
opportunum putant, ut conferant solum a-  
nimi sui, possintq; deinde ferre fructus tum  
honestatis, tum scientia, qui in omnem æ-  
ternitatem perennent. Vid. ib. plura  
cap. 1. & seq.

Ad § 8. (γ)

Vid Seneca epist. 2. & lib. de Tran-  
quill. animi cap 9. ubi scribit: Quo  
mihi innumerabiles libros & bibliothecas,  
quorum Dominus vix tota vita sua indi-  
ces overlegit? Onerat discentem turba, non  
instruit: multoq; satius est, paucis te au-

Floribus tradere, quàm errare per mulcos.  
 Paretur librorum, quantum satis sit, nihil  
 in apparatus. Honestius, inquis, in has  
 impensas, quàm in Corinthia, pictasq; ta-  
 bulas effuderim. Vitiosum est utiq; quod  
 nimium est. Quid est, cur minus igno-  
 scas nomen marmore atq; ebore captanti,  
 quàm opera conquirenti aut ignotorum  
 auctorum, aut improbatorum, & inter  
 tot millia librorum oscitanti, cui volumi-  
 num suorum fontes maxime placent titu-  
 liq;? Non censeo, scribit ad hæc Con-  
 ringius in de Bibl. Aug. Te quidem bis-  
 ce moveri. Id enim damus quidem Seneca  
 non in ostentationem, sed usum libros esse  
 comparandos: at ne utiqvam rectè hinc  
 colligitur, paucos duntaxat comparandos  
 esse. Non una nempe est usus illius ratio,  
 sed diversa ac multiplex. Privatus alius est  
 usus, alius publicus ac communis. Ad hoc,  
 quemadmodum rerum familiarium, aliæ  
 ad necessitatem requiruntur, aliæ ad uti-  
 litatem, aliæ ad elegantiam, pertinetq;  
 ad felicitatem patrifamilias, nullo horum  
 carere: ita etiam librorum alii sunt neces-  
 sarii

*sarii, alii utiles, alii ornatum præbent. Illa v. Bibliotheca demum vere suo in ordine perfecta est, quæ triplici illo est librorum genere instructa. Pro vario itaque illo usu, numerum quoque librorum diversum esse oportet. Et verò nec privato cuique idem numerus convenit, sed alius atque alius, pro ingenii & studiorum diversitate. De Aristotele refert Strabo, illum primum, quod sciat, libros cœgisse, hoc est majorem sibi vim librorum comparasse. Rectè sane. Primus n. mortalium, in Græcia saltem, per omne doctrinæ genus diffudit ingenium, interque alia primus ferè omnium, non Græciæ solum, sed etiam Barbariæ civitatum, mores, instituta, disciplinas, scripto tradidit posteritati, id quod fieri non potuit, sine monumentorum locupletiore quodam penù. Si quis Aristoteli dispar idem conetur, privatos quidem in usus, meritò is ludibrium debeat sapientibus: certe prudenti cuique, ac frugali patri-familias, quem ex Catonis præcepto, non oportet emacem esse, non sanè Φιλόκαλον ad emacitatis reprehensionem, quod in Silio*



Italeo notavit, Plinius l. 3. ep. 7. satū est,  
 si cuitali. pro studiorum & fortunæ mo-  
 dulo, ut Poëta canit: sit bona librorum &  
 provise frugis in annum Copia. Absit  
 profecto, ut ineptulos nonnullos imitan-  
 tes, multitudine librorum cōemta, docti  
 viri titulum expectemus, aceto poëtico  
 ab Ausonio quodam defricandi, perinde  
 atq; ille exceptus est, in quem lusit epi-  
 grammate:

Emptis quod libris tibi Biblioth. referta est,  
 Magnam & Grammaticum te Philo-  
 muse putas.

Hoc genere & chordas, & plectra, & bar-  
 bita conde:

Omnia mercatus, cras citharædus eris:  
 aut verò exagitandi ab aliquo Scioppio:  
 cujus in quosdam peritos juris, mordaci-  
 simos sales indubiè legisti, consultatione  
 altera de studiorum ratione. Sed redeo ad  
 Senecam. Fateor & ego, vitiosum esse li-  
 brorum parare nimium: aut parare libro-  
 rum copiam in parietum ornamentum:  
 aut vagari per libros multos, si possis ex  
 paucis tātundē vel etiam plus accipere com-  
 modi, at verò nō quævis magna vis librorū

semper est nimia: nec quævis ejus-  
 modi copia ostentationis est gratiâ:  
 nec semper licet ex paucis æquè mul-  
 tum fructus, atq; ex multis conse-  
 qui. Alteri nimium est; quod alteri  
 parum. Quædam studia sine multi-  
 plici lectione, atq; adeò copiosa bi-  
 bliothecâ excerceri non possunt.  
 Non sanè (ut ex nostro ævo nihil ad-  
 feram] Athenæus sua δεπνσοφι-  
 σιὰ dedisset nobis, nisi habuisset ad  
 manus illam Laurentii sui bibliothe-  
 cam: non Plinius Naturalem Histo-  
 riam, absq; fuissent Bibliotheca Ro-  
 mana: non Clemens Alexandrinus  
 σωματαίων libros, nisi Alexandria  
 vixisset; non Eusebius præclara adeò  
 multijuge lectionis volumina, nisi  
 Pampbilus eam vim librorum omnis  
 generis exhibuisset. Ipse Seneca, i-  
 gnoscerem, inquit, si è studiorum  
 nimia cupidine oriretur. Quidni ve-  
 rò

rò inde etiam nascatur alicubi librorum parandorum desiderium? Imò inde nascitur inter eos qui sapiunt. Pro regum principumq; immensis bibliothecis alius attulerit etiam, quod ille ait apud Tacitum: ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent; principum diversam esse sortem, quibus omnia ad famam dirigenda. Mibi non probatur, talia in excusationem adferre. Ostentatio mera librorum, semper in vitio est. At verò Bibliotheca illa Regia merentur laudem, quoniam sunt idonea ad id, ut omnis generis doctrina inserviant. Sunt nimirum quasi publica eruditionis universa penuria, qualia parare cum non sit perinde privatorum, si reges principesq; curam illam suam faciant, magnis sanè beneficiis sapientia studia exornant. Similia habet

Clau



Claudius Clemens Ornacensis l. 1. Mus. Sect. 1. c. 8. ubi probat locupletiores bibliothecas extrui à principibus & magnatibus ad pompam & magnificentiam, improbat v. cap. 9. si colligantur libri ad eruditionis ostentationem. Conf. & D. König Dissert. de studiis vir illustr. in cond. bibl. scripta A. 1644. ap. Capel. §. 8. & 9.

(d) Seneca epist. 45. *Non refert, quàm multos libros, sed quàm bonos habeas. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui quod destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur, nõ ire istud, sed errare est.* Petrarcha de remed. utriusque fortunæ lib. 1. dial 43.

*Egregios cumulare libros, præclara supellex:  
Ast unum utilius volvere sæpe librum.*

Philippi Melanchtoni hoc circumfertur dictum: Quatuor authores cõstituere Bibliothecam, videl. Aristoteles, Plinius, Plutarchus vel Cicero, & Ptolomæus, Rodolphus Goclenius,  
qua

quatuor philosophos, Aristotelem, Scaligerum (cujus Exercitationes vocat sua Biblia philosophica) Zabarella, Schegkium, cum primis legendos putat, eosque constituere, ait Bibliothecam Philosophicam. V. Alsted. Tab. 15. Consil. Academ. p. 33. Lomeier in de Bibliothec. pag. 5. 4. & 3. ubi Longinus Cassius ab Eunapio dicitur βιβλιοθήκη ἑμψυχῶν καὶ περὶ πατρῶν μαθητῶν, totam artium & disciplinarum ἐγκυκλοπαιδείαν animo complexus: & Nepotianus pectus suam Bibliothecam Christi fecisse, scribitur, ab Hieronym. tom. 1. epist. 3. Conf. Epist. V. C. ad Hottingerum Biblioth. Quadrip. c. 6. p. 90. seq.

*Quanto compendiosa magis ad scientias via foret, si quisq, quam apud se habet, librorum supellectilem ad certos revocare communes Locos studeat, ut habeat semper ad manū, quod in usus suos conferat, quam ut labore improbo conetur, tot horridi-*

ridiuscula peregrinorum authorum  
 nomina memoria mandare, tot li-  
 brorum formas, titulos, numerumq;  
 cognoscere, inq; ordinem, quasi mi-  
 litarem in aciem, redigere? &c.  
 Verepæus lib. 2. Inst. sch. Ut bo-  
 nus Oeconomus se non supervacuâ su-  
 pellectile onerat: ita quoq; studiosus  
 adolescens non omnes, sed necessa-  
 rios sibi comparabit libros, quos ipsi  
 praeceptor utiles fore judicavit. Conf.  
 Claud. Clem. in Mus. p. 30. ubi  
 Incautis, inquit, obest frequenter  
 librorum multitudo ad comparan-  
 das scientias, non solum, quia præ-  
 sidio literarum diligentiam in per-  
 discendo; ac memoriam remittant,  
 quidem censuerunt aliquando Dru-  
 ides apud Casarem l. de P. Gall.  
 sed ob id præsertim, quod Thamus  
 Ægyptiorum Rex, literarum Inven-  
 tori Theuth, inventum suum prædi-  
 can-



*eanti, sapienter dixit, Et ad rem  
presentem appositè, nègans librorum  
monumenta prodesse eruditionis  
Candidatis, quia sic, inquit, potius  
sapientia opinio, quàm veritas  
discipulis traditur. Vid. plura ib. ex  
Platone.*

[E] **Alfonfus Arragoniæ Rex in-  
terrogatus: libris plus deberet an ar-  
mis? respondit: & arma & armorum  
jura ex libris didici. Quæ utilitas mo-  
vit summos & præstantissimos viros,  
iplosq; Imperatores, Reges & Princi-  
pes, qui maximo studio, magnisque  
sumtibus, Bibliothecas adornarunt,  
Castellanus l. 3, c. 15. In metropoli sua,  
Academia, aut alio benè munito lo-  
co, aut præcipua urbe, Princeps in-  
struat Bibliothecam, pro circumstan-  
tia hominum & locorum. Sunt n. li-  
bri instrumenta proxima ad sapienti-  
am, per quam Regna stant & Respu-  
blicæ. Idcirco inter curas principis,  
debet esse non postrema, instructissi-**

mæ bibliothecæ, colligendæ, ordi-  
 nandæ, conservandæ & aperiendæ &c.  
 Keckermann. de Bibl. & Gazophyla-  
 cio. Conf. Mechovius in Herma-  
 thene p. 601. Innumerabiles libros &  
 bibliothecas colligere, non est cujus-  
 vis, sed Regum & Principum, & ma-  
 gnarum Civitatum opus &c. Imprimis  
 Conringium in de Bibliothec. §  
 13. 14. & Reiner. Reineccium Dissertat,  
 de Bibliothecis, & quæ supra literâ  
 (γ) ex Conringio adducta sunt.

Ad § 9. [2]

Agit de modo augmentandi bibli-  
 othecas, itidem D. D. Rudolph. Cap-  
 pellus, in fidel. admonitione § 21. ubi  
 1. tanquam incitamentum, librum  
 donariorum, in perpetuam donatari-  
 orum & donatorum, familiarumque  
 memoriam, confieri svadet. 2. requi-  
 rit auxilium antistitum ecclesiarum,  
 testamentorum, tribuum, collegio-  
 rum & societatum in civitate. 3. per-  
 sonas privatas, qui libros in duplo ha-  
 bent, adhortatur, ut unum publico  
 donent, 4. per statutum ordinari o-

ptae, ut quilibet Testator, pro voluntate & facultate, paucillum bibliothecæ leget, idque Genevæ, alibique observari, testibus Bornitio de ærario, & Lathero de Censu. Scripsit & *Henricus Kirschius* de Bibliotheca instituenda discursum, & de eâ in singulos annos locupletanda, secundum tria vitæ genera, Theosophum, Politicum & Oeconomicum. *Celeb. Conringius* inter alia inde *Bibl. Aug.* docet, Bibliothecas, quæ Regum, principumq; auspiciis conditæ sunt, saltim plerasque, in justam magnitudinem excrevisse, vel ex spoliis, vel ex manubiis, vel ex donis, vel ex majorum industria collectis. Hoc v. etiam unice attendi, ait, commeretur, quod illi seu Regum Principumque demum ex magnis Bibliothecis ære partis laudem consecuti hæctenus sint, quibus proventus annui immensis, & bona orbis pars Vedigalis fuit. V. ib. plura.

*Ad § 13. (1)*

*Castellanus scribit: Bona illa excellenti-*



lentiora sunt, majoriq; laude digna, quæ omnibus communia sunt, quàm de quibus omnes non participant. Ideò operam dabit Respublica, ut Bibliothecæ instituantur, quæ multitudine ac varietate, in publicum prodesse possint. Et alius quidam Politicus ita judicavit: *Wer Kunst und Bücher verhelet / der thut jedermann unrecht; denn er verbirget nicht was sein ist / sondern jedermann zuständig ist.* Hottingerus Bibliothec, Quad. p. 77. Quid fortuna juvat, si non conceditur usus? Sint ergò Bibliothecæ, publicæ cum primis, patulæ, hominumq; potius honesto usui, quàm blattarū & tinearum exponantur esui. Opera tamen danda est. ut diu durent, diuq; prodesse possint.

*Ad § 15. (u)*

Quantâ cum difficultate suidam, vel ad paucas horas, & quidem ab amico utendum, accipere potuerit, testatur Erasmus in proverbio, *Festina lente*, ubi addit: *Latitant in Col-*  
le-

Regis & monasteriis Germanorum,  
 Gallorum, Anglorum & vetusti Co-  
 dices, quos exceptis paucis adeò non  
 communicat ultro, ut rogati vel cedet,  
 vel pernegent, vel iniquo pretio ven-  
 dant usum decuplo estimatorum  
 Codicum. Tandem pulchrè servatos,  
 vel caries tineæque corrumpunt, vel  
 fures auferunt. Similem histori-  
 am narrat Melchior Adami in Vitâ  
 Conradi Pellicani, utpote cui descri-  
 bendum Dictionarium Talmudicum  
 Monachi dare recusarunt, fide quam-  
 vis iubente Gardiano, quorum tamen  
 ne unus calluerit linguam Hebraam,  
 & licet tandem ab Episcopo concede-  
 retur, nihilominus tamen & ab illo  
 difficulter impetravit. Dolendum  
 sanè, multa multorum Veterum scri-  
 ptorum monumenta, superiorum se-  
 culorū iniquitate intercidisse, nec mi-  
 nus dolendum, multos nobis invisos,  
 aut etiã pro genuinis obtrusos fuisse,  
 vid. Lud. Vives, de causis, corr. art. lib.

1. p. 34. De Muhammedanis librorum  
 occultatoribus vid. Clenard. l. 1. ep. 9.  
 & 19. & Petrum della Valle Itiner.  
 part. 2. c. 27. ubi scribit, quod libro-  
 rum, eorum præsertim qui scientias  
 & artes tradunt, thesauros soli docti,  
 tanquam dracones auro incubantes,  
 possideant, reliqui, ut profani, hinc  
 arceantur. Qui publicè venduntur,  
 fabulas continent, aut de lege Mu-  
 hammedica agunt, aut rythmis ac  
 poëmatibus constant. Nec apud eos  
 hæc consuetudo obtinet, ut liber in  
 fronte titulum præferat, unde fit ut  
 Bibliopolaë & nomen & pretium li-  
 brorum ignorent. Si quis in bonum  
 librum incidat, id fortunæ magis  
 quàm sapientiæ tribuendum. De li-  
 bris alias, vel honoris, vel certioris  
 custodiæ gratiâ, thecis inclusis vid.  
 Jerem. c. 32. Schindler, Lex. col. 1240.  
 Sixt. Sen. Biblioth. S. tom. 1. l. 2. Ju-  
 venal. sat. 3. & 10. Plin. l. 7. c. 21. &  
 29. Lomeier in de Bibl. c. 12. & conf.  
 sæpius citatum Conring. in de Bibl.

(λ) βιβλι-



Βιβλιοτάφοι, ab Eruditis appellan-  
tur, qui, ut soli sapere videantur, li-  
brorum aliquid insignium nacti, nemi-  
ni eorum copiam faciunt, sed in ar-  
câ sive thecâ, veluti sepulchro quo-  
dam, libros inclusos asservant. Inter-  
dum falsimonia apud tales accedit, ut  
aliena pro suis ambitiosi venditent,  
quia fateri nolunt, per quos profece-  
rint. V. Lexicographos,

Triennium jam est, ubi primum a-  
perui Museum omnibus ingredi vo-  
lentibus, & potestatem feci usurpandi  
libellos hac conditione, ut nomen  
saltem propignore deponeretur. Erat  
illo tempore nō saltem juvenibus gra-  
tum beneficium, sed mihi ipsi quoq̄,  
quod reperissem genus officii, quō  
mereri benè de proximo possem, idq̄  
pro gloria Filii Dei, qui id fieri seriō  
voluit, & ut facerem, multis & ma-  
gnis in me indignum collatis benefi-  
ciis induxit cunctantem. Ne v, mihi  
ipsi

ipsi damnum inde oriretur, petii pro  
 amore Filii DEI, quod ipsum quoque  
 beneficium jure suo postulare videre  
 posset, ne aut damno afficerentur,  
 aut lacerarentur, aut abalienarentur  
 Volumina. Et quoniam non pari  
 religione ab omnibus id observari,  
 negligentius Codices tractari, in com-  
 muni convictorio relinqui, angulos  
 concuit, imò v. imagines re expres-  
 sas erui videbam, dissimulavi tamen  
 omnia, & dissimulasse quoque im-  
 posterum. Sed duodecim Codices in-  
 fra scripti, non ita pridem ablati sunt  
 sine nomine. Petii haecenus, ut aut  
 nomina deponantur, aut libelli resti-  
 tuantur, Sed neutrum horum factum  
 est. Repetii quidem per affixam sche-  
 dam, sed nemo reddidit. Et sic qui-  
 dem illi emanerunt. Non sine causa  
 metuo, Juvenes, ne, si ad hos 12. tace-  
 rem, & reliqui omnes, quos habeo,  
 eodem periculo exponantur, crescen-  
 te ex dissimulatione audacia. Quan-  
 do

do igitur Sanctissimi Numinis metu,  
 cujus gloriam sancte interposui, in-  
 gratæ manus se cohiberi passæ non  
 sunt, cohibeant Vectes & claustra.  
 Et sicut initio amore iuvandi commu-  
 nia studia, Museum meum liberaliter  
 & hilariter aperui: Ita nunc idem  
 justo metu, ne perdam media, quibus  
 iuvare volui, subtristis atque invitæ  
 claudo, & ingressum arceo. Cæterum  
 honestissimorum Virorum & Juve-  
 num laudatissimos conatus non pro-  
 fus destituet hæc Bibliotheca, sed ju-  
 dices expedientur, sub certis materi-  
 arum titulis, qui petentibus & con-  
 sulere volentibus tradentur, & si quid  
 legere voluerint, liberaliter accipient  
 modo Cautionem interposito nomi-  
 ne fecerint. Sed ingressum liberum, ut  
 factum est hæctenus, si denegavero,  
 non ægrè ferent, nimirum ne sub ho-  
 nestissimo & innocentissimo ipsorum  
 ingressu, simul pillabantur infesta  
 capita, quæ sibi imperare non pos-  
 sunt,



sunt. &c. Valet in Domino. P. P.  
 ☿ post Cantate 1651.

(γ)

Idem Vir Venerabilis, quando aperiebat muscum, simul leges prophylacticas publicè affixit scribens: L. S. In honorem Filii DEI, quem diligit anima mea, & per quem omnia mihi bona obtigère, & in quo Pater cum S. Spiritu vult honorari, aperietur honestis & philomusis Viris & juvenibus hæc Bibliotheca singulis Diebus Mercurii, horis à 12. pomeridianis in sextam, ut de autoribus, qui extant hic, cognoscere, & inde, quod volunt, in usum suum oportunè possint excerptare. Et quamvis honestissimè de omnibus sentiam, constat tamen, aliquando secius, quàm

E 2                      hone-

honestas patitur, fieri. Sed unus fortè noxa, ne multis impunita veniat, pace ingredientium has commonefactiones præstruere volui. 1. Codices & libelli castè, mundè, candidè & cautè tractentur, sicut quivis cum suis agit, quos diligit. 2. Si quos in manus sumserint & satis lustraverint, reponant in justum suum locum, unde acceperunt. 3. Caveatur, ne forte cadant in terram, & allidantur pavimento, & damnum accipiant. 4. Ne aliquid discerpatur aut laceretur aut abalienetur, timor erga Filium Dei, cujus amor & honor hanc januam aperuit, prohibebit. 5. Atramentum hic reperient, pennas & chartas afferent, qui aliquid notare volunt. 6. Nemo aliquid mutuo

mutuo accipiat in salutato possessore, qui, si viderit petenti profutura, & carere iis possit, non denegabit. 7. Qui aliquid mutuo accipiunt, nomen suum cum die mutuationis schedæ inscribent, quem in vacuum illum locum, quem liber occupabat, reponent. 8. Duo aut plura Volumina simul petere nemo debet, sed unum post alterum. 9. Ultra octi dum nemo retinere debet librum. 10. Sed si non possit intra illud tempus lectio absolvi, & volumen arriserit, debet peti prorogatio. Nunc  $\delta$  dilecti patefactos volvite libros Christoq; grates dicite. P. P. Anno 1648. prid. Fest. Pentecost. Bibliotheca Augustana Hospites ita alloquitur: Hospes inhumanum

E 3                      num



nū rapiendi projice morē. Qvod tibi fieri non vis, ipse cave. Omnibus aspectus datur : at malefida rapina Res est hostilis, plena latrocinii. Decretum Ranzovianum de Bibliotheca perpetuum : Nemini libros, Codices, Volumina, picturas, ex eā auferendi, extrahendi, aliòve asportandi nisi Licentia Possessoris facultas esto. Inscriptio Bibliothecæ Cæsareæ, inter schedas Hug. Bloctii reperta, Januam sic loquentem introducit :

Clausa malis, sed aperta bonis ego  
 Janua, donec,  
 Quid te velim, scias, rogo  
 Siste pedem, quisquis tanto tu  
 dignus honore es,  
 Ut Cæsaris librariam

In-

Ingrediare domum; dignum te  
 o judico multâ

Fide: ergò gressum promove,  
 Atque ex Cæsareis cape delecta-  
 mina libris.

Sed heus relinque servulos  
 A tergo, veniamque mihi da tale  
 petenti.

Invita, at experta, id peto,  
 Quod peto. Litterulis tu poscas  
 lumina, quisquis

Es dignus domo Cæsaris.  
 Servis mens brevis est. sunt pal-  
 lia longa, manusq;

Longæ malis, breves bonis.  
 Sic ego non servis, Dominis sed  
 servio doctis;

Sed doctis, qui simul boni.  
 Sic Domini secura mei, sic servio  
 famæ,

Ne ipsum petat calumnia.

E 4

Serve

Serve mane, Domine ingredi,  
& quod Cæsaris est, id  
Memento sanctum Cæsari.

*Dixi Interpres Blotii.*

V. Lambecium lib. 1. Comment. de Biblioth. Cæsar. pag. 57. ubi auctarum loco addit Davidis Chytræi Epigramma Græcum in Bibl. Cæs. & Hotting. c. 1. p. 78. ubi monitoriam Inscriptionem Francisci Svertii allegat.

Ad § 16. (ξ)

De Bibliothecis disponendis & colligendis prolixè scripsit Hottingerus Bibliothec. Quadrip. part. 1. cap. 4. 5. & 6. ubi p. 79. operam hanc eruditæ crucem figere fatetur, Qui n. Bibliothecas, ait,



ait, usui publico vult inservire,  
 multis se debet accommodare in-  
 geniis. Ut n. aliud placet alij, ita  
 ne Jupiter quidem omnibus. Eru-  
 ditos, ubi loci communes propri-  
 is suis & commodis, assignandi  
 erant sedibus, eam non semel  
 observavi prodidisse iudiciorum  
 varietatem, quæ agrè potuit con-  
 ciliari. Neque mirum: Si enim  
 nihil unquam (ut cum Aristotele  
 loquar) sine ordine meditata est  
 natura, vel effecit, quisque etiam,  
 ut naturæ propius accederet ar-  
 te, studio habuit. Hic v. arte o-  
 pus est, & majori quidem, quàm  
 in ordinandis Catalogis. Facilius  
 n. est, ex libris suo loco consti-  
 tutis, quod placet methodice  
 eruere, quàm unicuique locum  
 suum, ut placeat, & profit eti-

E s.

am

am (collocatio enim memoriæ magnam est vel compendium vel dispendium) ordinare. Unde & in concinnanda Bibliothecâ abstractivâ [sic hanc voco *τοποθεσίαν*, utpote quæ materialium capsulas tantum, pyxides & repositoria considerat absolutè citra schesin ad Authores) tot ferè reperio sententias, quot capita. Et alii quidem in excessu peccant, alii in defectu. Hæc olim opera quosdam ita superstitiosè occupavit, ut ludibrium posteritati debuerint. Habet exempla quædam Naudæus qui in tanto sententiarū divortio, iis accedit, qui facilitati hîc, usui & naturæ litant: Quales sint, qui facultatum ductum secuti, Theologiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ, Historiæ,

storiæ, Philosophiæ, Mathematicum, & Literaturæ humanioris titulos eligunt generales, suis tamen mox iterum partibus distinctos &c. Agit etiam de Librorum dispositione ac collocatio-  
ne, ad eorum facilem inventionem & conservationem Possevinus Bibl. select. lib 1. c. 53. & Angelus Roche in Bibl. Vaticanæ Append. p. 404 - 409.

## Ad §. 18. (o)

Hottingerus Bibl. Quadrip. p. 28. Magnæ esset operæ pretium, si omnia, quæ in Europa sunt ἔξοχα ἄλλων, Librorum Domicilia, per Indices sive Catalogos editos, magis essent nota. Conringius inde Bibl. Aug. Perquam salu-  
E 6 tare



tare est consilium illud, quod de edendo Catalogo D. Wolffenbuttelensis Augustæ suggestisti. Primo enim faciunt Indices id genus, vel sola titulorum recensione, haud leviter ad comparandam librorum notitiam, sive *πρὸς τὴν ἐμπειρίαν βιβλιακὴν*, quo titulo singulare olim opus, teste svida scripserat Talephus, Grammaticus Pergamenus: hæc n. non infimus ad eruditionem gradus est. In studiorum usum, Bibliotheca transire non potest sine Indice; Tum demum a, etiam Index prodest maximè, si publicatus fuerit: privatim detentus, solos qui propius accesserunt, adjuvat & instruit. Majoris certè, ad studia quidem promovenda, utilitatis sunt Indices Bibliothecarum integri:

tegrī: Cujusmodi in Batavis præcipuè est Leidenſis & Ultrajectinus &c.

Ad §. 27. (p)

Hottingerus Quad. Bibl. p. 30. & 31. Edidit Geſnerus ſuo tempore Indices quosdam typographicos, Froſchaveri, Aldi Manutii, Seb. Gryphii, Chriſt. Wechelii. Joh. Gymnici, Frelloniorum, & Frobenianorum, quos poſtea ſecuti ſunt Batavi, Genevenſes, Angli cum primis, qui forè ſingulis libris excuſis, Catalogum etiam ſubjiciunt omnium à ſe editorum authorum. Secuta hinc conſuetudo conſcribendi Indices univerſales, eoſq; vel ſemestres, quales Francofurtenſes ſunt, ubi quidquid toto prodit orbe Europæo,

pro, uno alterove exhibetur folio, vel annuos, ut Gallorum; vel vicennales, cujusmodi est Londinensis ille 1657. luci expositus, ubi ordine alphabetico, quicquid intra viginti annos erudita protulit insula, ostenditur. Quem Indices ejusmodi vel usum habeant, vel jucunditatem saltem, prolixè enarrare nihil jam attinet. Sedant sitim gratæ novitatis, juvant notitiam authorum, sunt testis orbis vel *Φιλοπονῆντος* vel *μισοπονῆντος*, speculum lucidissimum, quo affectus per affectatos titulos clarissimè perspiciuntur; Indices deniq;, quorum calculo, per Editiones iteratas, labores vel probentur, vel rejiciantur.

Ad §. 40. (σ)

Scriptit inter alia, quæ Lambecius



becius recenset, etiam Consiliū  
 de augendā Bibliothecā Cæsareā  
 A. 1579. in quo requisita Biblio-  
 thecarii & dignitatem tangit, his  
 verbis apud Lamb. lib. 1. de Bibl.  
 Cæs. p. 53. & 54. Considerabimus,  
 qualis deligi debeat Bibliotheca-  
 rius, ut ex qualitate fungen-  
 tis officium magis elucescat. Re-  
 quiri itaque videtur, ut Biblio-  
 thecarius à reliquis muneribus  
 sit liber, lingvarum multarum  
 habeat cognitionem, sit justus,  
 laboriosus, fidus, industrius, non  
 pauper, non supersticiosus, amans  
 rei literariæ, & naturā in pro-  
 movendam rem Bibliothecariam  
 propensus. Itaque propterea im-  
 primis libertatem & à reliquis  
 curis vacuitatem requiro, quod re-  
 rum variarum multitudine di-  
 stractus

tractus, officio hoc suô minus perfectè fungi poterit. Bibliotheca enim tam copiosa, talisque, quæ nomine Imperatorio digna sit, non tantùm totum requirit hominem, verum etiam famulorum, & amanuensium operas atq; horum omnium labores continuos. Addideram, Bibliothecarium non debere esse supersticiosum. Nam cum nihil magis deceat [summi Monarchæ Bibliothecam, quàm (non secus atque in horto aliquo herbario, quem quis completissimum cupit, herbæ non tantùm salutes, verum etiam noxiæ & venenosæ habentur) libros omnium rerum, linguarum artium, & religionum eâ contineri: Bibliothecarius, ut pharmacopola æquè intrepidè toxica atque salubria medicamenta

tra-

tractat, ita in Bibliothecâ quicquid  
 invenerit, tractare & conseruare  
 æqualiter studebit. Superstitio-  
 sus autem suæ tantum religionis  
 libros curabit, poliet & conser-  
 vabit, reliquarum verò, affecti-  
 bus deditus, incuriâ perire pati-  
 etur; cum tamen intersit omni-  
 um eorum, qui veram religio-  
 nem defensam atque conserva-  
 tam cupiunt, adversariorum suo-  
 rum libros alicubi invenire posse,  
 quorum argumenta argumentis  
 diluant ac confutent. Reliquum  
 est, ut de Bibliothecarii dignita-  
 te pauca dicantur. Quâ re, quia  
 cum nonnullâ gloriæ cupiditate  
 conjuncta esse videtur, libens su-  
 persederem, nisi eandem cum  
 non parvâ Bibliothecæ Cæsareæ  
 utilitate cohærentem cernerem.  
 Romæ, qui Bibliothecæ Vatica-  
 næ



næ præest, Cardinalis est; Flo-  
 rentiæ item Magni Hetruriæ Du-  
 cis, Monaci Ducis Baviariæ, & Pa-  
 riſiſ Galliarum Regis Bibliothe-  
 cis nobilissimi & maximæ cele-  
 britatis Viri præfecti sunt. Hi quo-  
 cunque veniunt, auctoritatis ple-  
 ni, facile sibi abditos & pretiosos  
 aliorum principum thesauros li-  
 brarios, patefactos habent, faci-  
 leque rerum singulariũ & libro-  
 rum non vulgatorum copiam at-  
 que descriptionem impetrant.  
 In Monasteriis, Arcibus, & Civi-  
 tatibus non facile illis aditus ad  
 res præclaras, quæ ad sunt, visen-  
 das negatur. Quamquam a. Augus-  
 tus Nominis imperatorii splen-  
 dor Bibliothecario suo satis Au-  
 ctoritatis addere apud unum-  
 quemque debebat, nescio tamen,  
 quo

quomodo fiat, ut non tantum apud Vulgus imperitum, verum etiam apud homines nobiliores; plerique ex vestibus & titulis æstimentur. Ad vestitus rationem quantum attinet, Bibliothecarius, si talis erit, qualem supra requisivi, ipse se ex conditionis suæ dignitate gerere noverit. Sed cum tituli, honores, & dignitates ab imperatoriâ Majestate maximè procedant, non abs re fortassis esset ad augendam apud homines Bibliothecarii Cæsaræi existimationem, Consilii nomine clementer ipsum condecorare, etsi nulla antiquæ prosapiæ suæ stemmata proferre, aut claros natales ostendere posset, Indulgentiæ Imperatoriæ beneficio ipsi Nobilitatem clariorem constituere, quò

quò ad quoscunqve veniret prin-  
 cipes vel populos Honorator,  
 & accessum ad lustranda ea, qui-  
 bus Augusta S. Cæs. Majestatis  
 Tuæ Bibliotheca illustrari posset,  
*procliviorẽ haberet, & charior*  
*esse acceptiorq; omnibus posset.* O-  
 nuph. Panvinius Tract. quem de  
 Bibl. Vaticanã scripsit: *Qui Bibli-*  
*otheca præerat, ait jam olim Bibli-*  
*othecarius & aliquando Cancell-*  
*arius vocabatur.* Hujus munus  
 erat, Bibliothecam, & omnia ejus  
 volumina scripta, membranas, &  
 similia accuratissimè custodire:  
 Bullas, sive diplomata, vel Epi-  
 stolas Decretales Pontificum  
 scribere, & si opus erat, dictare.  
 Acta conciliorum & Synodalia  
 exscribere ac conservare; tan-  
 demqve apud Romanum Ponti-  
 ficem



ficem ea omnia præstare, quæ se-  
dis Apostolicæ Cancellarii no-  
stro tempore faciunt. Conve-  
niens etenim visum fuit, uti spo-  
tissimum esset Papæ amanuen-  
sis, scilicet scribarum Princeps,  
vel à Secretis, qui etiam Ponti-  
ficiam Bibliothecariam, quæ  
tunc erat veluti Cancellaria quæ-  
dam, sive, ut nunc loquimur, Se-  
cretaria, tractaret; nostris verò  
*temporibus hæc munia sunt divisa:*  
Plura habent de Bibliothecario-  
rum dignitate, & honorifica pro-  
vincia, itemque de illustrioribus  
bibliothecariis Naudæus lib. de  
instic. Bibliothecà p. 159. 158. Cle-  
mens Claud. Ornacensis lib. 3. Mus.  
Sect. 1. c. 1. & 2. Hottinger. c. 1. Lo-  
meier cap. 13. p. 301. seq. ubi o-  
ptimè meritos Bibliothecarios  
ex

ex omni ætate recenset, quibus  
ob merita posteritas grata annu-  
merabit Concium, Bekmanum,  
Gebhardum, Fellerum, Hen-  
dreich, Ravium, Hankium, alios.

(τ)

Magna n. molis, laborisque im-  
probi & indefessi provinciam Biblio-  
thecarium gerere, extra controversiæ  
aleam positum est. Vel sola librariæ  
supellectilis accurata Inspectio & dis-  
positio totum, cumque non stupidum  
aut bardum, sed agilem, excitatum,  
ingenio non minus, quam iudicio,  
memoria cum primis ferrea, requirit  
hominem pollentem. Quæ enim in  
foro sunt partes Judicis, in Oecono-  
mia Patrisfamiliæ, eadem in re lite-  
raria assignari possunt Bibliotheca-  
rio. Vide de officio Bibliothecarii  
Dn. Hottinger, c. l. p. 2. seq. Quod E.  
cum totum poscat hominem, ab a-  
liis curis vacuum, stipendio annuo  
suf-

sufficienteqve providendus est, quem-  
 admodum d<sup>r</sup> M. Antonio Sabellico  
 Lomeier, p. 325. refert, illum annuo  
 stipendio Bibliothecæ D. Marci Ve-  
 netiis præfuisse. Tale salarium & a-  
 liis, qui Bibliothecis Principum ac Re-  
 rum publ. præfecti sunt, præ-  
 stari certum est, cer-  
 tè deberi,

















819  
sufficenteqve pro  
admodum d3 M-  
Lomeier, p. 325. r  
stipendio Biblioth  
netiis præfuisse. T  
liis, qvi Bibliothec  
rumpubl. præ  
stari certu  
tè de

